




Philol.  
No. 299.


R  
1721


Be. 506e.


4/7/92

M. S.










domini Galaci  
admodum Ciceroni  
Compendium

 Audomari Talæi  
in Lucullum Ciceronis  
Commentarii,

A D

CAROLVM LOTHARINGVM Cardinalem Guiffanum;

∞ Cum indice eorum quæ in his continentur. ∞



J. F. W. - 4 -  
CVM PRIVILEGIO.

PARISIIS.


Ex officina Ludouici Grandini, è re-  
gione gymnasii Rhemensis. #

1550.

BIBLIOTHECA  
ACADEMIE  
DORPATIENSIS

+

isla Aristoteli  
in Lucullum Ciceronis  
commentarii



*J. N. Kibor.*

4-11A

7192

53258198

AVDOMARI TALÆI IN LVCVL-  
LVM CICERONIS COMMENTARII,  
A D

CAROLVM LOTHARINGVM cardinalem guiffianum.

**S**UPERIORIBVS proximis annis tibi cōmentarios no-  
stros de Academica quæstione dedicaui, vbi & Academi-  
corum philosophorum originē, & progressionem, & to-  
tam distinctionem persecutus sum: & quod de quatuor  
Academicis Ciceronis ad Varronem supererat, exposui:  
postea de duobus primis eiusdem argumenti libris Lucullum, qui solus  
restit, eodem genere cōmentationis explicauit: nec vt Grāmaticus inter-  
pres sententias & historias tantum declarauit, sed multo magis, vt diale-  
cticus iudex, qualis esset tota disputatio, perpensi & æstimauit, genera  
argumētorum notauit, syllogismorum & conclusionum modos distin-  
xi, methodi totius ordinem demonstraui, & ad earum virtutum imita-  
tionē, dum hæ res à nobis prælegerentur, discipulos meos interim stu-  
diosè institui, dialecticam denique totam & inuentionem & dispositio-  
nem ex his artibus, quas Petrus Ramus suo maximo labore, sed tua ma-  
iore liberalitate in lucem & vsum protulit, omni studio diligentiaq; ex-  
ercui, nõ solum vt consilium Ciceronis & iudicium & methodum legē-  
tibus aperirē, sed vt his explicationum mearum exemplis, fratris mei, vel  
potius omnium artium & literarum causam adiuuarem, & pertinacibus  
Aristoteleis ostenderem dialecticam præstantiorē esse, quàm ex Aristo-  
telis libris cognoscerēt, & longè præstatiore & admirabiliore vsu, quàm  
in scholasticis clamoribus & sophismatis tractarent. Facilius enim

*In caput alta suum labentur ab æquore retro  
Flumina, conuersis solq; recurret equis,*

quàm Aristotelici organi in prædicabilibus, prædicamentis, interpre-  
tationibus, Analyticis, Topicis, Elēchis cōfusi talem formam & speciē,  
qualis in dialecticis Petri Rami institutionib<sup>9</sup> traditur, intueri, & talem  
tamque perspicuam lucem ex illis suis tenebris ad interpretādos & imi-  
tandos auctores adferre queant. Summa verò disputationis vniuersæ  
duas in orationes diuisa est. Nam cum Academicis (sicut superiore com-  
mentario planius dictum est) affirmarent nihil sciri & percipi posse: ne-  
que ideo quicquam probandum, aut vlli rei assentiendum esse, in priore  
Lucullus eleuata Academicorum autoritate, qui se magnis & antiquis  
philosophis similes esse profitebatur, contra nouam Academiā primū  
disputat esse aliquam *κατάληψις*, id est, perceptionē & cognitionem  
a. ii.

rerum, & aliquam συγκατάθεσι, id est approbationem: deinde contrarias nouorum Academicorum rationes refellit. Esse igitur aliquam κατάληψιν probat notionibus sensus & animi, quod sensus innumerabiles res percipiat, & animo comprehensa philosophia ut moralis, dialectica, physica, satis magno argumento fit aliquid sciri & percipi posse: συγκατάθεσι verò, id est approbationem & assensionem breuiter disputat iisdem repetitis argumentis. Cum autem Academicorum sententia hoc syllogismo potissimum concluderetur:

*Visa, inter qua nihil interest, percipi non possunt:*

*Omne visum est eiusmodi:*

*Nullum igitur visum percipi potest.*

Eiusque syllogismi assumptio probaretur visis ebriorum, somniantium, furiosorum, & similitudinibus geminorum & sigillorum, contra hæc omnia Lucullus primùm generaliter docet quod Academicidefiniat visa, quod partiantur, quod syllogismo concludant, quod quædam sit in rebus perspicuitas, eos ideo aliquid percipere: deinde speciatim singulorum argumētis respondet: atque ita prima pars eius libri Luculli oratione cōcluditur. Altera pars in Ciceronis Academia nouam defendētis oratione sequitur: atque imprimis multis authoribus antiquis, Democrito, Anaxagora, Empedocle, Socrate, Platone Academicorum nouorum ἀναλήψια, quasi diceret incōprehensibilitas, defenditur: deinde sensus & animi variis exemplis approbatur, quod multis in rebus fallantur oculi, ut nauigiorum motu: quod geminorum & signorum similitudines nos perturbēt: quod ebrii, somniantes & furiosi decipiātur: quod à Stoicis dialectica sophismata inexplicabilia tradantur: quod à Lucullo multa falsa pro veris dicta sint. Tum demum in omnibus philosophiæ partibus, physica, morali, dialectica, ex controuersis philosophorum opinionibus nihil certi & comprehensi esse demōstrat. Atque hoc pacto Ciceronis oratio contra Luculli orationem argumentatur, & tota contentio Academicæ quæstionis absoluitur: quam tibi nō idcirco solum, quia prima pars argumenti huius esset antè dedicata, nuncupauit: sed multo magis quod te vnum ex omnibus mortalibus qui nunc sunt, verè philosophiæ patrem possim confirmare. Quid enim, ut cuncta tuæ virtutis huius argumēta prætermittam, Rhemenses musæ tua sempiterna gloria fundatæ aliud prædicant? Quod ut in perpetuum florentes & beatæ faciāt, pro maximis tuis & singularibus in omne genus hominum meritis, Deum Optimum obtestor & obsecro. Vale. Datum Lutetiæ, Nonis April. E gymnasio Puelleorum. 1550



## M. T. Ciceronis Academicarū

QVÆSTIONVM EDITIONIS

primæ liber Secundus, qui inscribitur Lucullus.



**M**AGNUM ingenium L. Luculli, magnūmque optimarū artium studium, tum omnis liberalis & digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro maximè potuit, caruit omnino rebus urbanis. <sup>3</sup>Ut enim admodum adolescens cum fratre pari pietate & industria prædito paternas inimicitias magna cū gloria est persecutus: in Asiā <sup>4</sup>Quæstor profectus, ibi permultos annos admirabili quadam laude, prouincia præfuit: <sup>5</sup>deinde absens factus Ædilis, continuo Prætor (licebat enim celerius legis præmio) post in Africam, inde ad Consulatum: quem ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent. <sup>6</sup>Post ad Mithridaticum bellum missus à Senatu, non modò opinionem vicit omnium, quæ de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorū. <sup>7</sup>Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, Quæsturae diuturnum tempus, Muræna bellum in Ponto gerente, in

Asia pace consumpserat: sed incredibilis quædam ingenij magnitudo non desideravit indocilem vsus disciplinam. <sup>8</sup>Itaque cum totum iter & nauigationem consumpsisset, partim in percontando à peritis, partim rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, <sup>9</sup>cum esset Roma profectus rei militaris rudis. <sup>10</sup>Habuit enim diuinam quandam memoriam rerum, verborum maiorem Hortensius. <sup>11</sup>Sed quo plus in negotijs gerendis res quam verba profunt, hoc erat memoria illa præstantior, quàm fuisse in Themistocle, quem facile Græciæ principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam se artem ei memoriæ, quæ tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, obliuisci se malere, quàm discere. credo, quòd hærebant in memoria quæcunque audierat, & viderat. Tali ingenio præditus Lucullus, adiunxerat etiam illam, quam Themistocles spreuerat, disciplinam. <sup>12</sup>Itaque vt literis consignamus, quæ monumentis mandare volumus: sic ille in animo res insculptas habebat. <sup>13</sup>Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, prælijs, oppugnationibus, naualibus pugnis, totiùsque belli instrumentis & apparatu, vt ille Rex post Alexandrum maximus, hunc à se maiorem ducem cognitum, quàm quenquam eorum quos legisset, fateretur. <sup>14</sup>In eodem tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque ciuitatibus, tanta æquitas, vt hodie stet Asia Luculli institutis seruandis, & quasi vestigijs persequendis. <sup>15</sup>Sed etsi magna cum vtilitate Reip. tamen diuinius quàm vellem, rãta vis virtutis, atque ingenij pere-

grinata abfuit ab oculis, & fori, & curiæ. <sup>16</sup>Quinetiã cum victor à Mithridatico bello reuertisset, inimicorum calumnia trienio tardius quàm debuerat, triumphauit. <sup>17</sup>Nos enim Cõsules penè introduximus in urbem curum clarissimi viri: cuius mihi consilium & authoritas quid tum in maximis rebus profuisset, dicerem, nisi de meipso dicendum esset: quod hoc tempore non est necesse. Itaque priuabo potius illum debito testimonio, quàm id cum mea laude cõmunicem. <sup>18</sup>Sed quæ populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea ferè sunt & <sup>19</sup>Græcis literis celebrata & Latinis. Nos autem illa exteriora cum multis, hæc interiora cum paucis ex ipso sæpe cognouimus. <sup>20</sup>Maiores enim studio Lucullus, cum omni literarum generi, tum philosophiæ deditus fuit, quàm qui illum ignorabant, arbitrabantur: nec verò ineunte atate solum, sed & Quæstor aliquot annos, & in ipso bello, in quo ita magna rei militaris esse occupatio solet, vt nõ multum imperatori sub ipsis <sup>21</sup>pellibus otij relinquatur. <sup>22</sup>Cum autem è philosophis ingenio, scientiãque putaretur Antiochus Philonis auditor excellere, eum secum & Quæstor habuit, & post aliquot annos imperator: cumque esset ea memoria, quam antè dixi, ea sæpe audiendo facile cognouit, quæ vel semel audita meminisse potuisset: delectabatur autem mirificè lectione librorum, de quibus audiebat.

<sup>20</sup> Hoc exordium operi iam perfecto additum est, vt ait Cicero lib. 13. Epist. ad Att. Torquatus Romæ est: iussi, vt tibi daret Catulũ & Lucullũ, vt opinor antea. his libris noua proœmia sunt addita, quibus vterque laudaretur. Huius proœmii duæ sunt partes, vna in laude Luculli, altera in defensione huius libri aduersus quorundam calumnias. Prima propositio est, Lucullus ab urbana & forensi laude se ad externam

& bellicam transtulit. Argumentum ab adiunctis personæ, quæ propositæ rei repugnant: Lucullus absens quæstor fuit, & AEdilis, & Prætor, & Consul bello Mithridatico præfuit: caruit igitur diu multumque rebus vrbanis.

2 Liberalis doctrina continet Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Astrologiam: quibus tantus honor olim habitus fuit in Græcia, vt eas soli liberi & ingenui perciperent, perpetuo interdicto, ne serui docerentur.

3 Fuit gloriosum Lucullo adolescenti Seruiliū Augurē reū peculatus agere, vlciscendi patris gratia, qui accusante Seruilio furti damnatus fuerat: ex qua tamen accusatione Seruilius excitato tumultu per vim euasit. Vide Plutarchum in Lucul.

4 Quæstor Lucullus viginti millia sestertiū, quibus L. Sylla multauerat Asiam, collegit, id est, centies vices millena millia aureorum: vbi continentiam suam Asiaticis omnibus mirificè probauit.

5 Priuilegio aliquo maturius quàm leges annales paterentur, post adilitatem Prætor factus est: quia inter hos magistratus biennium legibus interesse debuit, quibus Lucullus virtutis gratia solutus est.

6 Collatio est maiorum ad augendam gloriam Luculli, qui Mithridatem regno expulit Pontico, cuius conatus atque impetus in Asiam Sylla & Murena tantum refutauerant.

7 Prolepsis hic latet à repugnantibus: Lucullus vsum rei militaris non habebat: mirum est igitur quo modo gloriam superiorum vicerit.

8 Remouet admirationem tantæ victoriæ: cuius duas causas ponit, ingenium & doctrinam Luculli, quæ perse, ac sine vsu ad res magnas obeundas plurimum potuerunt. Vsus autem disciplinam vocat indocilem, quod vsus militia, sicut reliquarum ferè artium, doceri vix possit, sed exemplis & experimentis multo pluribus quàm præceptis comparetur.

9 Videtur hic historiæ Plutarchi repugnare: Lucullus enim (si Plutarcho credimus) adolescens præclara virtutis suæ documenta in bello Marisco præbuit: cui tantum L. Sylla tribuebat, vt quoties aliquid esset fortiter & strenuè gerendum, eius opera præcipuè vteretur: & in Mithridatico bello in AEgyptum missus à Sylla ad Ptolemæum regem comparandæ classis gratia strenuè legationem obiit: & ad Tenedum Mithridatis naues afflixit: & in Asia quæstor Mitylenæos, qui multam sibi impositâ detreclarent, expugnauit. Itaq; (si verè scribit Plutarchus) Lucullus nō rudis rei militaris, sed lōgo vsu doctus, & peritus Mithridatico bello præfuit.

10 Declarat ingenii magnitudinem à parte: quia memoria ingenii pars est, quæ laudatur in Lucullo comparatione Hortensii & Themistoclis. Hortensius memoria tanta fuit, vt quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redederet, quibus excogitauisset. Hoc adiumento ille tanto sic vtebatur, vt sua & commentata & scripta & nullo referente omnia aduersariorum dicta meminisset, vt ait Cicero in Bruto: Themistoclis autem memoria tam singularis fuit, vt intra annum optimè loquutus sit Persicè, vt ait Fabius libro vndecimo. Lucullus autem vtroque præstantior, quod Hortensius minus excellentem, Themistocles minus exultam doctrinam memoriam rerum habuit.

11 Redditio comparationis Luculli cum Themistocle ad augendam ingenii & doctrinæ laudem.

12 Similitudo memoriæ cum literis, quæ posteritatis causa repertæ sunt, quæ subsidio obliuioni esse possint.

13 Concludit imperatoriam laudem Luculli ex tribus virtutum generibus fortitudinis, prudentiæ, iustitiæ. Fortitudo autè ex rebus subiectis declaratur, circa quas

versari solet, & amplissimo testimonio Mithridatis, quod ad faciendam fidem valet, quia laudari ab hoste permagnū est.

14 Prudentia Luculli confirmatur à factis. Cùm enim Asia publicanorum fœnore, & auaritia adeo premeretur, vt conditionem suam multo duriorē qualibet feracitate duceret, Lucullus eam nouis legibus de fœnore latis mirum in modum recreauit: vnde tantam sibi cōciliauit beneuolentiam Asianorū, vt in eius honorem Lucullea publicè celebrarentur.

15 Redit ad primam propositionem de vrbana absentia, & laude Luculli, quam confirmat à circumstantiis.

16 Luculli fortuna in bello Mithridatico subito mutata est, quia desertus est à suis militibus, & multorum calumniis obiectus. Itaque cùm Romam victor rediisset, negatus est ei triumphus calumnia C. Memmii, qui palam distabat Lucullum cōtra auctoritatem & officium Imperatoris multa fecisse, Mithridaticūque bellum diutius prorogasse: nec ipse triumphasset, nisi principes Tribubus immixti suffragia populi Romani multis precibus expressissent. Vide Plutarchum.

17 Amplificatio Lucullæ laudis, quod in reprimenda cōiuratione Catilinæ Ciceronem iuuerit, quæ per apophasin tractatur.

18 Trāsitus ab imperatoria laude ad laudem ingenii & literarū, ne persona non satis φιλόσοφος in hac Academica quæstione induci videatur.

19 Mithridaticum bellum à Lucullo gestum Archias poeta Græcis literis celebravit, vt ait Cicero: & Sallustius Latinis, vt ait Plutarchus.

20 Lucullus tantam operam Græcis & Latinis literis dedit, vt vtroque genere posset quàm aptissime & quàm ornatisimè dicere: nec solum adolescens in artibus ingenius versatus est, sed etiā reuocatus à bello Mithridatico ad philosophiam se contulit: & in contemplatione rerum tanquam in iucundissimo diuersorio cōquieuit. Plutarch. in Lucullo.

21 Pelles per metonymiam dicuntur pro castris & tentoriis, quæ olim ex pellibus fiebant: ex efficientibus igitur significatur effectum.

22 Confirmatio doctrinæ ex efficientibus causis, quod Lucullus multos annos Antiocho philosopho vsus sit, quod excellentem memoriam habuerit, quod librorum studiosissimus fuerit.

*Ac vereor interdum, ne talium personarum, cùm amplificare velim, imminuam etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino Græcas non ament literas: plures, qui philosophiam: reliqui, qui etiam si hæc non improbent, tamen earum rerum disputationem principibus ciuitatis non ita decoram putent.<sup>2</sup> Ego autem, cùm Græcas literas M. Catonem in senectute didicisse acceperim: P. autem Africani historiæ loquatur in legatione illa nobili, quam ante Censuram obiit, Panætium vnū omnino comitem fuisse: nec literarum Græcarum, nec philosophiæ*

iam vllum authorem requiro.<sup>3</sup> Restat vt iis respondeam, qui sermonibus eiusmodi nolint personas tam graues illigari: quasi verò clarorum virorum aut tacitos cōgressus esse oporteat, aut ludicos sermones, aut rerum colloquia leuiorum.<sup>4</sup> Etenim, si quodam in libro verè est à nobis philosophia laudata, profectò eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est: nec quicquam aliud videndum est nobis, quos populus Romanus hoc in gadu collocauit, nisi ne quid priuatis studiis de opera publica detrahamus.<sup>6</sup> Quòd si, cum fungi munere debeamus, non modò operam nostram nunquam à populari cætu remouemus, sed ne literã quidem vllam facimus nisi forensem: quis reprehendet nostrum otium, qui in eo non modò nosmetipsos hebescere, & languere nolumus: sed etiã vt plurimis prosimus, enitimur?<sup>9</sup> Gloriam verò non modò non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad populares illustrésque laudes, has etiã minus notas, minusque peruulgatas adiugimus.<sup>10</sup> Sunt etiam qui negent in iis qui in nostris libris disputent, fuisse earum rerum, de quibus disputatur, scientiam: qui mihi videntur non solum viuis, sed etiam mortuis inuidere.<sup>11</sup> Restat vnum genus reprehensorum, quibus Academia ratio non probatur: quod grauius ferremus, si quisquam vllam disciplinã philosophiæ probaret, præter eam, quam ipse sequeretur.<sup>12</sup> Nos autem, qui contra omnes dicere, qui scire sibi videntur, solemus, non possumus, quin alij à nobis dissentiant, recusare.<sup>13</sup> Quamquam nostra quidem causa facilius est, qui verum in-

uenire sine vlla contentione volumus, idque summa cura studioque conquirimus.<sup>14</sup> Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est, & in ipsis rebus obscuritas, & in iudiciis nostris infirmitas, vt nò sine causa & doctissimi & antiquissimi inuenire se posse quod cuperent, diffisi sint: tamen nec illi defecerunt: neque nos studiũ exquirendi defatigati relinquimus: neque nostræ disputationes quicquam aliud agunt, nisi vt in vtrãque partem dicendo & audiendo, eliciãt, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verũ sit, aut ad id quãproxime accedat.<sup>15</sup> Neque inter nos & eos qui se scire arbitrãtur, quicquam interest, nisi quòd illi non dubitant, quin ea vera sint quæ defendũt: nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare vix possumus.<sup>16</sup> Hoc autem liberiores & solutiores sumus, quòd integra nobis est iudicãdi potestas, neque vt omnia quæ præscripta, & quasi imperata sint, defendamus, necessitate vlla cogimur.<sup>17</sup> Nam ceteri primũ antè tenentur adstricti, quàm quid esset optimum, iudicare potuerũt: deinde infirmissimo tempore ætatis aut obsecuti amico cuidam, aut vna alicuius quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, & ad quancunque sunt disciplinam<sup>18</sup> quasi tempestate delati, ad eam, tanquã ad saxum, adherescunt.<sup>19</sup> Nam quod dicũt, omnino se credere ei quem iudicent fuisse sapientem: probarem, si id ipsum rudes & indocti iudicare potuissent. Statuere enim qui sit sapiens, vel maximè videtur esse sapientis.<sup>20</sup> Sed vt potuerunt omnibus rebus

auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis, iudicauerunt: aut re semel audita ad vnius se auctoritatem contulerunt. <sup>21</sup> Sed nescio quomodo plerique errare malūt, eamque sententiam quam adamauerunt, pugnacissimè defendere: quàm sine pertinacia, quid constantissimè dicatur, exquirere.

<sup>1</sup> Hæc exordii secūda pars est, in qua Cicero occurrit vituperatoribus primū philosophiæ, deinde Academiæ, quibus & aliàs sæpe respondit, vt in Hortensio, lib. primo de Finibus, de Natura deorū, lib. 2. Officiorū. Primæ vituperationis tria sunt capita, vnum de contemptu Græcarum literarum, alterum de contemptu philosophiæ, tertium quòd hæc studia principibus ciuitatis non conueniant.

<sup>2</sup> Eleuat duo capita vituperationis de studiis Græcarū literarū, & philosophiæ, duobus exemplis, quæ species sunt nobilium principum: fuit decorū Catoni Græcas literas, & Africano philosophiam discere: hæc igitur studia principibus contemnenda non sunt. Cato senex sic auidè arripuit Græcas literas, quasi diurnā sitim explere cupiens, vt ea ipsa ei nota essent, quibus exemplis vteretur: & breues commentarios ex Thucidide, plures ex Demosthene confecit, quorum ei vsus esset in causis Forensibus: & scripta sua Græcis sententiis & historiis exornauit.

<sup>3</sup> Respondet ad tertiam calumniam, quæ negat esse tantæ nobilitatis & dignitatis philosophiam tractare. Prima refutatio à repugnantibus: non decet homines consulares aut obmutescere, aut de rebus leuioribus inter se colloqui: res igitur serias & graues disputare debent.

<sup>4</sup> Secunda refutatio ab adiunctis. Philosophia est optima: igitur optimo quoque homine dignissima. Hæc autem à Cicerone in eo libro qui inscriptus erat Hortensius, defensa & collaudata fuerat, cum esset accusata & vituperata ab Hortensio.

<sup>5</sup> Tertia à paribus. Cum in Republica sumus, nihil nisi publicum agimus: liceat igitur nobis in priuato otio etiam aliquid vtile & honestum meditari. Syllogismus est connexus primus, cuius assumptio hoc loco prima est.

<sup>6</sup> Propositio syllogismi connexa.

<sup>7</sup> Litera nulla, id est nihil omnino scriptū. metaphora est hyperbolica extenuandi gratia, vt lib. 1. de Orat. De frangēdis cupiditatibus litera in eorum libris nulla inuenitur. & in Bruto, Ante Periclem, cuius scripta quædam ferūtur: & Thucididem, qui non nascentibus Athenis, sed adultis fuerunt, nulla litera est, quæ quidem ornatum habeat.

<sup>8</sup> Metaphora est ab acie ferri. nā vt hæc rubigine, sic ingeniū hominibus desidia & inertia recunditur. Cum igitur is esset Reip. status, vt vnius Cæsaris dominatu omnia tenerentur, nec vlla esset forensibus & senatoriis causis relicta libertas, Cicero ne eius languesceret industria, in studiis philosophiæ se diligenter exercuit.

<sup>9</sup> Quarta refutatio continet cōtradictionē primæ & generalis obiectionis, quòd hæc studia clarorum virorum gloriam non imminuant, sed potius augeāt. Qui locus declaratur ab efficiente causa. Accessio siquidem laudis maiorem & ampliorem laudem facit.

<sup>10</sup> Hactenus Philosophiæ reprehēsoribus respondit: deinceps coarguit vituperatores Academiæ: quorū alii reprehendunt personas in dialogo Ciceronis, alii to-

Cicero in Cato-  
ne Maiore.  
Plutarchus in  
Catoe.

Cic. libro primo  
de Finibus.

Litera nulla.

tam Academicam rationem atque sententiam. Prima illa reprehensio, quæ fuit Titi Pomponii Attici, leuiter eluditur ab adiunctis: & ea quidem ratio postea Ciceronem mouit, vt personas in his dialogis mutaret, totāq; Academicam quæstionem à Catulo & Lucullo transferret ad M. Terentium Varronem, quòd illi homines nobiles quidem, sed non satis philologi indecorè de philologia loquerentur. Lege Ciceronem lib. 13. Epist. ad Atticum.

<sup>11</sup> Altera reprehensio est Academicæ sectæ & rationis, quam Cicero contra vituperatores variè defendit. Primus defensionis locus est à repugnātib; vituperatores Academiæ reliquas sectas præter suam non probant, quid mirum si Academiā reprehendant?

<sup>12</sup> Secundus locus à comparatione parium: alios refellere solemus: patiamur igitur nos quoque ab aliis refelli.

<sup>13</sup> Tertius locus à definitione Academiæ nouæ ex adiunctis. Hæc enim philosophia est, quæ nihil se scire fatetur, licet sciētia & veritatis inueniēdæ cupidissima & studiosissima sit. Causæ duæ sunt ignorationis, obscuritas rerū, & infirmitas humani iudicii: studium inueniendi veri declaratur exemplis veterum Democriti, Anaxagoræ, Empedoclis, Socratis: qui licet nihil sciri & percipi posse dixerint, tamen omne suum studium in inquisitione scientiæ & cognitionis posuerunt: & Ciceronis, qui veterem & antiquum illum disputandi & inquirendi morem sublata temeritate affirmandi (qualis in aliis philosophorum scholis esse solebat) diligenter & accuratè retinuit.

<sup>14</sup> Illustratio proximæ definitionis à fine, vt verum aut verisimile contrariis disputationibus facilius inueniatur.

<sup>15</sup> Quartus locus est à dissimilibus. Duplex autem dissimilitudo est inter Academicos & reliquos philosophos. Prima ex rebus subiectis circa quas versantur: nam ceteri philosophi dicunt omnia vel certa vel incerta esse: Academicus nil certi vel incerti statuunt, sed quicquid est, quod in philosophia atque omnino in humana vita tractatur, id aut probabile, aut improbabile duntaxat esse contendunt.

<sup>16</sup> Altera dissimilitudo ab adiunctis personarum. Academicus sunt in philosophia, iudicādi potestate liberi: reliqui verò philosophi serui, & certis magistrorum sententiis & opinionibus addicti. Protasis dissimilitudinis prima est.

<sup>17</sup> Altera pars dissimilitudinis, in qua causæ seruitutis explicantur: Infirmitas ætatis, amor personæ, autoritas orationis.

<sup>18</sup> Similitudo & allegoria ducitur à nautis, qui tempestate iactati, sic in scopulos incurrunt, vt naue fracta, vel in rupes intrusa hinc retrahi & abire non possint. Sic Virgilius de Aiace,

*Illum expirantem transfixo pectore flammæ*

*Turbine corripuit, scopulōque infixit acuto.*

<sup>19</sup> Occupat defensionem eorum, qui certis disciplinis addicti sunt, quam refellit à repugnantibus. Syllogismus simplex secundi generis.

*Qui iudicat quid sit sapiens, is sapiens est:*

*Philosophi isti non sunt sapientes:*

*Non possunt igitur iudicare, quid sit sapiens.*

Assumptio syllogismi præcedit, quæ declaratur à contrariis.

<sup>20</sup> Propositio syllogismi hinc intelligenda est.

<sup>21</sup> Complexio syllogismi, quæ illustratur à minori ad maius.

*Quibus de rebus & aliàs sæpe nobis multa quesita  
& disputata sunt, & quondam in Hortensii villa, quæ*

est ad<sup>2</sup> Baulos, cum eo Catulus & Lucullus, nosque ipsi postredie venissemus, quàm apud Catulum fuissemus. Quo quidem etiam maturius venimus, quòd erat constitutum, si ventus esset, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompeianum nauigare. Cum igitur pauca in Xysto locuti essemus, tum eodem in spatio consedimus. Hic Catulus, Etsi heri, inquit, id quod querebatur, penè explicatum est, vt tota ferè quæstio tractata videatur, tamen expecto ea quæ te pollicitus es Luculle ab Antiocho audita dicturum. Equidem, inquit Hortensius, feci plus quàm vellem: totam enim rem Lucullo<sup>4</sup> integrã seruari oportuit: & tamen fortasse seruata est: à me enim, quæ in promptu erant, dicta sunt: à Lucullo autem reconditiora desidero.

<sup>1</sup> Superiore exordio Luculli laus amplificata est, cuius primæ partes erunt in hoc dialogo: & institutum non solum philosophiæ, sed etiam nouæ Academiæ aduersus obtrectantium calumnias defensum est. Sequitur alterum exordium, in quo describitur occasio proximi dialogi, qui fingitur habitus in villa Hortensij, vbi Catulus & Hortensius, qui priore libro inter se collocuti fuerant, ille pro noua, hic pro vetere Academia, nunc inuitant Lucullum ad differendum: vt quæ ab Antiocho philosopho audierit, sicut ipse erat pollicitus, exponat. Hic igitur aditus est ad dialogisimum, & proximum sermonem ex occasione loci & personarum.

Bauli, vicus.

<sup>2</sup> Bauli, vicus in Campania inter Baias & Mysenum, vbi quondam Herculis boves stabulati varios boatus ediderunt, vnde nomen vico datum est.

Xystus.

<sup>3</sup> Xystus, porticus ampla latitudine, in qua athletæ per hyberna tempora exercentur. Vitruuius libro 6.

Res integra.

<sup>4</sup> Res integra, est intacta, & quasi illibata, de qua nihil adhuc est disputatum, aut iudicatum: cui opponitur res peracta. Integra igitur disputatio Lucullo traditur, quasi nihil aut certè parum Hortensius pro Academia vetere dixerit hesternâ disputatione, cum esset collatus cum Catulo.

Res in promptu

<sup>5</sup> In promptu res esse dicitur facilis, perspicua, & peruulgata, & quæ quasi sua sponte se nobis offert ad dicendum, vt Academico primo. Itaque non hæsitans respondebo, sed ea dicam, quæ mihi sunt in promptu. Huic opponitur res abstrusa & abscondita, quæ alta & profunda cogitatione mentis indiget, nec primo nobis quasi aspectu occurrit.

<sup>1</sup> Tum ille, Non sanè, inquit, Hortensi conturbat me expectatio tua: etsi nihil est iis qui placere volunt, tam

aduersariū: sed quia nō laboro quæ valde ea quæ dico, probaturus sim, eo minus cōturbor. dicam enim nec mea, nec ea, in quibus si non fueritis, non vinci me malim, quàm vincere.<sup>2</sup> sed me hercule, vt quidem nūc se causa habet, etsi hesternō sermone labefactata est, mihi tamen videtur esse verissima.<sup>3</sup> Agam igitur sicut Antiochus agebat: nota enim mihi res est: nam & vacuo animo illū au diebā, & magno studio, eadem de re etiam sepius: vt etiam maiorem expectationē mei faciam, quàm modò fecit Hortensius.<sup>4</sup> Cū ita esset exorsus, ad audiendū animos ereximus. At ille, Cū<sup>5</sup> Alexandria Quæstor, inquit, essem, fuit Antiochus mecum, & erat iam antea Alexandria familiaris Antiochi Heraclitus Tyrius, qui & Clitomachum multos annos, & Philonem audierat, homo sanè in ista philosophia, quæ nunc propè dimissa reuocatur, probatus, & nobilis,<sup>6</sup> cum quo & Antiochum sepe disputantem audiebam, sed vtrūque leniter: & quidem isti libri duo Philonis, de quibus heri dictum à Catulo est, tum erant allati Alexandriam, tumque primū in Antiochi manus venerant,<sup>7</sup> & homo natura lenissimus (nihil enim poterat fieri illo mitius) stomachari tamen cepit. mirabar: neque enim vnquam antea videram. At ille Heracliti memoriã implorans, querere ex eo, viderentur illa Philonis, aut ea num vel è Philone, vel ex vllō Academico audiuisset aliquando? Negabat. Philonis tamen scriptum agnoscebat: nec id quidem dubitari poterat. nam aderāt mei familiares, & docti homines, P. & C. Selij,

Et Terrilius Rogus, qui se illa audisse Roma de Philone, & ab eo ipso duos illos libros diceret descripsisse. Tum & illa dixit Antiochus, quæ heri Catulus comme morauit à patre suo dicta Philoni, & alia plura: nec se tenuit, quin contra suum doctorem librum etiam ederet, qui Sosus inscribitur. <sup>8</sup> Tum igitur & cum Heraclitum studiosè audirem contra Antiochum differentē, & item Antiochum contra Academicos, dedi Antiocho operā diligentius, ut causam ex eo totam cognoscerem. Itaque complures dies, adhibito Heraclito, doctisque compluribus, & in his Antiochi fratre Aristō, & præterea Aristone & Dione, quibus ille secundum fratrem plurimū tribuebat: multum temporis in ista vna disputatione consumpsimus.

<sup>1</sup> Lucullus incipit Academiam veterem defendere, cuius oratio quatuor constat partibus, exordio, narratione, confirmatione, & refutatione. In exordio remouet suspicionem timoris, qualis in magnis & grauibus disputationibus contingere solet. Argumentum fiducia est ab adiunctis, quod dicturus sit non sua, sed aliena, & ab Antiocho accepta. Est autem benignum, ut ait Plinius, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: sic Cicero in libro de reipub. Platonis se comitē profitetur: & in consolatione filiae Crantorem, inquit, sequor: item Panætium in officiis, & in dialecticis & rhetoricis Aristotelem sequitur, ut ipse testis est.

<sup>2</sup> Primus locus attentionis ab adiuncto propositæ causæ, quod sit verissima.

<sup>3</sup> Secundus locus, ubi Lucullus duas causas reddit, cur hanc Academicam disputationem & controuersiam planè teneat.

<sup>4</sup> Hic finis est exordij, & transitus ad narrationem, in qua locus, tēpus, & circumstantiæ reliquæ notantur, quibus Lucullus Academicam quæstionem percipere potuit à summis & nobilissimis philosophis, quorū disputationibus Alexandria ipse sæpius interfuit. Prima pars narrationis est de contentione audita inter Antiochū & Heraclitum, quorum alter veterem, alter nouam Academiam defendebat.

Alexandria.

<sup>5</sup> Alexandria, vrbs Aegypti ab Alexandro magno condita iuxta Canopicū Nilī ostium, quondam gymnasijs & literis floruit: ubi Lucullus Quæstor cum philosophis aliquandiu versatus est, cum à L. Sylla ad Ptolemæū regem comparandæ clasfis & conciliandæ amicitiae gratia missus esset.

<sup>6</sup> Altera pars narrationis de contentione inter Philonem & Antiochum comprehensa libris vtrinque scriptis: atque hic Lucullus declarat quantam molestiam libri Philonis pro Academia noua compositi Antiocho attulerint.

<sup>7</sup> Ex affectu vult probare quàm absurda visa sit Antiocho librorum Philonis sententia.

<sup>8</sup> Iterat primam partem narrationis de audita & percepta disputatione inter Heraclitum & Antiochum, ne ad ignotam causam & quæstionem tractandam accedere videatur.

<sup>1</sup> Sed ea pars quæ contra Philonem erat, prætermittenda est. minus enim acer est aduersarius is, qui ista quæ sunt heri defensa, negat Academicos omnino dicere. etsi enim mentitur, tamen est aduersarius lenior. Ad Arcesilam Carneadēque veniamus. Quæ cum dixisset, sic rursus exorsus est: Primū mihi videmini (me autem nomine appellabat) cum veteres physicos nominatis, facere idem quod seditiosi ciues solent, cum alios quos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur. Reperunt iam P. Valerium, qui exactis Regibus primo anno Consul fuit: commemorant reliquos, qui leges populares de prouocationibus tulerunt, cum Consules essent: tum ad hos notiores, C. Flaminiū, qui legem Agrariam aliquot annis ante secundum Punicum bellum Tribunus pl. tulerit inuito Senatu, & postea bis Consul factus sit: L. Cassium, Qu. Pompeium, illi quidem etiam P. Africanum referre in eūdem numerum solent. Duos verò sapiētissimos & clarissimos fratres, P. Crassum & P. Scauolam, aiunt Ti. Graccho legum auctores fuisse, alterum quidem, ut videmus, palam: alterū, ut suspicamur, obscurius. Addunt etiam C. Marium: & de hoc quidem nihil mentiuntur. Horum nominibus tot virorum atque tantorum expositis, eorum se institutum sequi dicunt. <sup>2</sup> Similiter vos cum perturbare, ut illi Rempubl. sic vos philosophiam bene iam cōstitutam.

velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, Zenonem, Platonem etiam & Socratem profertis. <sup>3</sup> Sed neque Saturninus (vt nostrum inimicum potissimum nominem) simile quicquam habuit veterum illorum, <sup>4</sup> nec Arcesila calumnia conferenda est cū Democriti verecundia. <sup>5</sup> & tamen isti physici rarò admodum, cūm hærent aliquo loco, exclamant quasi mente incitati: Empedocles quidem, vt interdum mihi furere videatur, abstrusa esse omnia, nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino quale sit, posse reperire. <sup>6</sup> Maiorem autem partem mihi quidem omnes isti videntur nimis etiam quadam affirmare, plusque profiteri se scire, quàm sciant. <sup>7</sup> Quòd si illi tum in nouis rebus quasi modò nascentes hæsitauerunt, nihilne tot seculis, summis ingenijs, maximis studiis explicatum putamus? nonne, cūm iam philosophorum disciplina grauißimæ constitissent, <sup>8</sup> tum exortus est vt in optima Republica Ti. Gracchus qui otium perturbaret, sic Arcesilas, qui constitutam philosophiam euerteteret, & in eorum auctoritate delitesceret, qui negassent quicquam sciri aut percipi posse? <sup>9</sup> Quorum è numero tollendus est & Plato & Socrates: alter, quia reliquit perfectissimam disciplinã Peripateticos & Academicos nominibus differentes, re congruentes, à quibus Stoici ipsi verbis magis quàm sententiis dissenserunt. Socrates autem de seipso detrahens in disputatione plus tribuebat iis quos volebat refellere. ita cū aliud diceret atq; sentiret, libèter vti solitus est ea dissimulatione, quam Græci εἰρωτεύειν vocant: quam ait

etiam in Africano fuisse Fannius: idque propterea vitiosum in illo non putandum, quòd idem fuerit in Socrate. <sup>10</sup> Sed fuerint illa vetera, si vultis, incognita: nihilne est ergo actum, quòd inuestigata sunt posteaquam Arcesilas Zenoni, vt putatur, obtrectans, nihil noui reperiendi, sed emendanti superiores, immutatione verborum, dum huius definitiones labefactare vult, conatus est clarissimis rebus tenebras obducere? <sup>11</sup> Cuius primò nõ admodum probata ratio, <sup>12</sup> quàmquam floruit tum acumine ingenij, tum admirabili quodam lepore dicendi, proximè à Lacyde solo retenta est: pòst autem confecta à Carneade, qui est quartus ab Arcesila. audiuit enim Egesinum, qui Euandrum audierat Lacydis discipulũ, cum Arcesila Lacydes fuisset. <sup>14</sup> Sed ipse Carneades diu tenuit. <sup>15</sup> nam nonaginta vixit annos: & qui illum audierant, admodum floruerunt. è quibus industriæ plurimum in Clitomacho fuit. <sup>16</sup> declarat multitudo librorum ingenij non minus in hoc, <sup>17</sup> quàm in Carneade eloquentiæ, in Melonthio Rhodio suauitatis. Bene autem nosse Carneadẽ Stratoniceus Metrodorus putabatur. Iam Clitomacho Philo vester operam multos annos dedit. Philone autem viuo patrocinium Academia non defuit.

¶ Principium confirmationis digressionem continet ad eleuandam auctoritatem nouorum Academicorum, è quibus Philonis sententiam Lucullus contemnit. Arcesilam & Carneadem seditiosis ciuibus comparat. Prima pars similitudinis constat inductione exemplorum, quæ clarorum principum species sunt, qui videntur populares extitisse, P. Valerius collega Iunij Bruti primus de prouocatione à magistratibus ad populum legem tulit, vnde Publicola dictus est: quæ lex à Murena Consule iterum lata est, itémque à M. Valerio Cõsule, cūm tenues à potentibus premerentur, tertio promulgata. C. Flaminius Tribunus plebis legem tulit de diuidendo agro Gallico: Spurius Cassius Consul primus Agrariam legem promulgauit.

uit, vt ager Hernicus diuideretur: qui vt primùm magistratu abiit, damnatus necatūque est. Lege Liuium lib. 1. decadis primæ. Publius Africanus simulauit se patronum legis Agrariæ, licet eam minimè probauerit. Tiberius Gracchus non per seipsum Agrariam legem ferre instituit, sed adhibuit in consilium constantissimos viros, è quibus Crassus Pontifex maximus fuit, & Lucius Scæuola Iureconsultus. C. Marius Tribunus plebis inuito Senatu legem de ferendis suffragiis tulit, quæ specie ipsa popularis erat.

2 Sequitur altera pars similitudinis illustrata exemplis veterum philosophorum, quorum similes noui Academici videri volebant. Empedocles Agrigentinus floruit Olympiade 84. auditor Parmenidis, poeta excellens & philosophus Pythagoreus. Anaxagoras Clazomenius Anaximenis discipulus, philosophatus est Athenis sub Callia principe, & impietatis crimine damnatus, quòd solem cædentem esse diceret. Democritus Milesius discipulus Anaxagoræ omnibus ingenuis artibus & disciplinis apprimè deditus, sed tamen in philosophia plerumque lapsus. Parmenides Eleates Xenophanis & Anaximandri discipulus philosophiam versibus expressit. Zeno Eleates Parmenidis auditor studiosus physica. Plato Atheniësis in suis dialogis Socratem facit omnium rerum inscium & ignarum.

3 Confutat vtranque partem similitudinis, & exempla proposita, idque à dissimilibus. Prima dissimilitudo pertinet ad confutandam protasin superioris similitudinis, quòd Lucius Apuleius Saturninus Tribunus plebis seditiosus valde dissimilis fuerit eorum, qui paulò antè commemorati sunt.

4 Secunda dissimilitudo refellit Apodosin similitudinis, quòd Democritus verecundus, Arcefilas impudens sit: itaque multum interfit inter veteres illos philosophos & nouos istos Academicos.

5 Proximus locus illustratur à dissimilibus. Licet antiqui philosophi ignorare se aliquid dicant, iidem tamen multa scire se confirmant.

6 Maiorem partem dixit, pro maiori ex parte, vt Tusculana quarta, Chrysippus & Stoici cum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis & definiendis occupati sunt.

7 Hic concessio quædam latet, Antiquissimi philosophi fuerint ignari: & argumentum à causis: attamen diurnitas temporis, & subtilitas hominum, & industria magnitudo potuit tandem aliquando scientiã aliquam & eruditione proferre.

8 Arcefilas cum Tiberio Graccho comparatur à simili: quòd vt hic reipub. sic ille philosophiæ bene constitutũ & pacatum statum perturbauerit: atque is Arcefilas in hac perturbatione, vt causam suam probabilem faceret, delitescere in auctoritate veterum philosophorum, id est, sententiã suam defendebat eorum auctoritate, quasi ipse non videretur author eius sententiæ, sed potius veteres, de quibus antè diximus.

9 Respondet ad duo postrema exempla de Platone & Socrate, quorum alter Plato perfectam philosophiam reliquit de vita & moribus, de disserendo, de natura & rebus occultis, vt docet Cicero primo Acad. ad Varronem. Socrates autem ironicis se nihil scire dixit: quam ironiam Cicero in Bruto facetam & elegantem putat: est enim & minimè inepti hominis, & eiusdè etiam faceti, cum de sapientia disceptetur, hanc sibi primùm detrahere, eis tribuere, qui eam sibi arrogãt, vt apud Platonem Socrates effert in cælum laudibus Protagoram, Hyppiam, Prodicũ, Gorgiam, ceteros, se autem omnium rerum inscium fingit & rudem: decet hoc nescio quo modo illum.

10 Iterat concessionem de ignorantia veterum, & Arcefilæ calumniam co-

arguit à causis, propterea quòd multa progressionibus temporum inuenta patefactaque sint. Quo loco Arcefilæ & Zenonis ineptiã notantur, quorum alter omnem scientiam & cognitionem de medio tollere, alter Academiam veterem inuictis vocabulis nouis corrigere voluerit: de qua correctione lege Ciceronem Acad. primo, & libro 4. de Finibus.

11 Describit seriem & progressionem Academicorũ ab Arcefila vsque ad Philonem, vt intelligi possit quos Academia noua patronos habuerit.

12 Arcefilas erat in inueniendo scelicissimus, & ad respondendum promptissimus, & ad persuadendum acerrimus, omnemque orationis figuram & venustatem conabatur exprimere. Diogenes Laertius.

13 Lacydes Arcefilæ successit in Academia, & in horto doctuit, quem Attalus rex construxerat: qui locus dictus est Lacydium.

14 Elegans gradatio, qualis est apud Diogenem in vita Lacydis: qui iuuenis solus ex omni memoria Phocensibus Theleucli & Euandro scholam tradidit: Euandro successit Egesinus Pergamenus: Egesino Carneades.

15 Carneades obiit anno ætatis suæ octuagesimo tertio, vt ait Laertius, in quo dissentit à Cicerone.

16 Clitomachus Carthaginiensis eò doctrinã processit, vt supra quadraginta volumina scripserit, successeritque Carneadi.

17 Comparatio trium philosophorum à paribus. Clitomachus tam subtilis fuit, quàm eloquens Carneades, & quàm suaui Melontius.

*1 Sed quod nos facere nunc ingredimur, vt contra Academicos disseramus, id quidam è philosophis, & ij quidem non mediocres, faciendum omnino non putabant: nec equum esse, vllam rationem disputare cum iis qui nihil probarent: Antipatrumque Stoicum, qui multus in eo fuisset, reprehendebant: nec defini aiebant necesse esse, quid esset cognitio, aut perceptio: aut, si verbum è verbo volumus, comprehensio, quã κατὰ λόγον illi vocant: eosque qui persuadere vellent esse aliquid quod comprehendi & percipi posset, inscienter facere dicebãt: propterea quòd nihil esset clarius εἰρηρεια vt Græci, perspicuitatem aut euidentiã nos, si placet, nominemus, fabricemurque, si opus erit, verba, ne hic sibi (me appellabat iocans) hoc licere soli putet. sed tamen orationem nullã putabant illustriore ipsa euidentiã reperiri posse, nec ea quæ tam clara essent, definienda censebant.* 3 Alij

autem negabant se pro hac euidentiâ quicquã priores fuisse dicturos: sed ad ea quæ contra dicerentur, dici oportere putabant, ne qui fallerentur. Plerique tamẽ & definitiones ipsarum etiam euidentiũ rerum non improbant: & rem idoneam de qua queratur, & homines dignos quibuscum differatur, putãt. <sup>4</sup> Philo autem dum noua quedam commouet, quod ea sustinere vix poterat quæ contra Academicorum pertinaciam dicebãtur, & apertè mentitur, vt est reprehensus à patre Catulo: & vt docuit Antiochus, in id ipsum se induit, quod timebat. Cũ enim ita negaret quicquam esse, quod comprehendi posset (id enim volumus esse ἀκατάληκτον) si illud esset, sicut Zeno definiret, tale visum (iam enim hoc pro φαῖστα verbũ satis hesternò sermone trinuimus) visum igitur impressum, effectũmq; ex eo vnde esset, quale esse non posset, vt ex eo vnde non esset, id nos à Zenone definitum rectissimè dicimus. <sup>6</sup> Quĩ enim potest quicquam comprehendi, vt planè confidas id perceptum cognitũque esse, quod est tale, quale vel falsum esse possit? <sup>7</sup> Hoc cũ infirmat tollitque Philo, iudicium tollit incogniti & cogniti: ex quo efficitur, nihil posse comprehendi. ita imprudens eò, quò minimè vult, reuoluitur.

<sup>1</sup> Expositis & exagitationis Academię nouæ patronis, Lucullus antequã ad confirmationem suæ sententiæ accedat, deliberationem quãdam instituit, an liceat disputare contra nouam Academiam, necne. Prima pars est deliberationis, quod non liceat, quæ confirmatur à repugnantibus.

<sup>2</sup> Altera ratio ab adiunctis: syllogismus simplex primi generis:

Quæ clara sunt, definitione non indigent:

Perceptio & euidentiã sunt res clara:

Neutra igitur harum definitione & disputatione indiget.

<sup>3</sup> Secunda pars deliberationis alteram partem contradictionis continet, & liceat contra Academicos disputare, quæ confirmatur à dissimilibus, & à fine.

<sup>4</sup> Hoc vestibulum est proximæ confutationis, in quo Philonis autoritas eleuatur, & ἀκατάληκτος definitur, de qua inter Academicos nouos & veteres contentio orta est.

<sup>5</sup> ἀκατάληκτος, est visio impressa & effecta ex vero & proprio obiecto, vt comprehensio hominis ex ipso homine, qualis non esset ex alieno obiecto, vt comprehensio hominis ex equo fieri non posset.

<sup>6</sup> Probat secundam partem definitionis, quod ἀκατάληκτος ex alieno subiecto non fiat. quo nomine definitur perfecta consummataque scientia, quæ fit cũ propriam & veram & certam cuiusque rei speciem & formam cernimus.

<sup>7</sup> Hic locus videtur esse mutilus & corruptus, nec vllum crimen inconstantiæ in Philone coarguit.

<sup>1</sup> Quare omnis oratio contra Academiam suscipitur à nobis, vt retineamus eam definitionem, quã Philo voluit euertere. quã nisi obtinemus, percipi nihil posse concedimus. <sup>2</sup> Ordiamur igitur à sensibus: quorum ita clara iudicia & certa sunt, vt si optio natura nostra detur, & ab ea deus aliquis requirat, contentane sit suis integris incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid, non videam quid querat amplius. <sup>3</sup> Neque verò hoc loco expectandũ est, dum de <sup>4</sup> remo inflexo, aut de <sup>5</sup> collo columba respondeam. nõ enim is sum, qui, quicquid videtur, tale dicam esse, quale videatur. Epicurus hoc viderit, & alia multa. Meo autem iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si & sani sunt, & valentes, & omnia remouentur quæ obstant & impediũt. <sup>6</sup> Itaque & lumen mutari saepe volumus: & situs earũ rerũ quas intuemur, & intervalla aut contrahimus, aut diducimus, multaque facimus vsque eò, dum aspectus ipse fidem faciat sui iudiciũ. <sup>7</sup> Quod idem fit in vocibus, in odore, in sapore: vt nemo sit nostrum, qui non in sensibus sui cuiusque generis iudiciũ requirat acrius. <sup>8</sup> Adhibita verò exercitatione & arte, vt oculi pictura teneantur, &

aures cantibus, quis est quin cernat quanta vis sit in sensibus? Quam multa videntur pictores in umbris, & in eminentia, quae nos non videmus? quam multa quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? qui primo<sup>10</sup> inflatu tibicinis<sup>11</sup> Antiopam esse aiunt, aut<sup>12</sup> Andromacham, cum id nos ne suspicemur quidem.<sup>13</sup> Nihil necesse est de gustatu & odoratu loqui, in quibus intelligentia etsi vitiosa, est quaedam tamen.<sup>14</sup> Quid de tactu, & eo quidem quem philosophi<sup>15</sup> interiorum vocant, aut doloris, aut voluptatis? in quo<sup>16</sup> Cyrenaici solo putant veri esse iudicium, quia sentiatur.<sup>17</sup> Potestne igitur quisquam dicere, inter eum qui doleat, & inter eum qui in voluptate sit, nihil interesse? aut, ita qui sentiet, non apertissime insaniat?<sup>18</sup> Atqui qualia sunt haec quae sensibus percipi dicimus: talia sequuntur ea quae non sensibus ipsis percipi dicuntur, sed quodammodo sensibus, ut haec: illud est album, hoc dulce, canorum illud, hoc bene olens, hoc asperum. Animo iam haec tenemus comprehensa, non sensibus.<sup>19</sup> Ille deinceps equus est, ille canis. caetera series deinde sequitur maiora necesse, ut haec quae quasi expletam rerum comprehensionem amplectuntur: Si homo est, animal est mortale rationis particeps. Quo è genere nobis notitiae rerum imprimuntur, sine quibus neque intelligi quicquam, neque queri aut disputari potest.<sup>20</sup> Quod si essent falsa notitia (civitas enim notitias appellare tu videbare) si igitur essent haec falsa, aut eiusmodi visis impressa, qualia visa à falsis discerni non possent: quo tandem his modo uteremur?<sup>21</sup> quomodo

autem, quid cuique rei consentaneum esset, quid repugnaret, videremus?<sup>22</sup> Memoria quidem certe, quae non modo philosophiam, sed omnis vitae usum, omnesque artes una maxime continet, nihil omnino loci relinquitur. quae potest enim esse memoria falsorum? aut quid quisquam meminit, quod non animo comprehendit, & tenet?<sup>23</sup> Ars vero quae potest esse, nisi quae non ex una aut duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? quam si subtraxeris, quomodo distingues artificem ab inscio? non enim fortuito hunc artificem dicemus esse, illum negabimus, sed cum alterum percepta & comprehensa tenere videmus, alterum non item.<sup>24</sup> cumque artium aliud eiusmodi genus sit, ut tantummodo animo rem cernat: aliud, ut molitur aliquid, & faciat: quomodo aut geometres cernere ea potest, quae aut nulla sunt, aut internosci à falsis non possunt: aut is qui fidibus utitur, explere numeros, & conficere versus? Quod idem in similibus quoque artibus continget: quarum omne opus est in faciendo atque agendo. Quid enim est quod arte effici possit, nisi is qui artem tractabit, multa perceperit?

<sup>1</sup> Constituit *θεσις* totius contentiois aduersus novos Academicos, quod ali qua sit rerum *κατάληψις*: haec enim princeps & generalis est quaestio, de qua deinceps disceptabitur. Sed argumenta Luculli, si dialecticum iudicium ad iudicandam quaestionem adhibeatur, falsa & inconsequentia reperientur. Academici noui negant ullam esse *κατάληψιν*, id est, firmam & certam perceptionem: vel, si dicere ma uis, scientiam. qua definitione nominis posita totam orationem Luculli concidere necesse est: nec enim sensus hominis, nec animus, aut mens, aut ratio, quicquam hoc firmo & constanti genere comprehensionis percipit, sed solus deus, qui veras & simplices rerum causas & formas cognoscit. In hominibus autem perexigua est huius diuinæ lucis scintilla, quae opinio potius quam scientia debet appellari.

<sup>2</sup> Primum argumentum ad probandam *κατάληψιν*, sumitur à sensibus, in quibus prima sunt cognitionis & comprehensionis causa.

<sup>3</sup> Occurrit exemplis Academicorum, quibus *ἀκέραια* probare solent, & sensus interdum fallaces & incertos esse concedit, eleuatque auctoritate Epicuri.

4 Remus in aqua fractus apparet & inflexus, quia pars quæ est in aqua, videtur propior nobis esse, quàm reuera sit, & idcirco partes remi recto aspectu in aqua continuatè videri non possunt. Aqua autem quia corpus est *διὰ φανωσπιδίον*, facit vt pars remi, quæ est demersa, maior videatur, & idcirco propior oculis nostris, hæc quæstio agitur à Seneca cap. 3. libri primi quæstionum naturalium.

5 Seneca libro primo quæstionum naturalium, capite quinto,  
*Colla Cytheriaca splendent agitata Columba.*

Videntur autem diuersis coloribus distincta, vel pro ratione lucis, quæ colorem & oculum subinde mutat: vel quòd reuera pennæ in collo sint diuersicolores.

6 Declarat inductione per species, quando & quo modo fiat in singulis sensibus cõprehensio & veritas. Primus locus inductionis est de oculis & aspectu. Verùm, vt diximus, nulla est in his *κατάληξις*, id est scientia, quia sensus veras & simplices rerù species non intuctur, vt rectè disputat Socrates in Theæteto: nec sequitur si sensus vera sentiant, vt veritatem sciunt & percipiunt, quia aliud est sentire, aliud scire.

7 Secundus locus inductionis de tribus sensibus, auditu, odoratu, & gustatu.

8 Confirmat fidem & constantiam in sensibus ab aliis causis, cum ad naturam sanam & integram accesserit ratio confirmatiõque doctrinæ, vt ad iudicium oculorum, pictura, aurium, musica.

Vmbra. Eminencia. 9 Vmbrae in pictura sunt, quibus imagines planæ, solidæ videntur esse, & habere aliquem recessum: eminentia autem, qua imagines planæ eminere atque extare videntur.

10 Tibicines dicuntur inflare, qui tibia vel buccina canunt, qui olim in Comædiis & Tragædiis varios faciebant modos, vt vel ex ipso cantu & sono periti homines intelligerent quæ Comædia vel Tragædia recitanda esset.

Antiope. 11 Antiope, tragædia est Accij poetæ de casibus & miseriis Antiope vxoris Lyci regis Thebanorum.

Andromacha. 12 Andromacha, Tragædia Ennij poetæ de calamitatibus & ærumnis Andromache vxoris Hectoris, quæ capta Troia à Neoptolemo rapta est, & postea variis modis agitata.

13 Iterat argumentum de tribus sensibus.

14 Probat similiter in tactu esse comprehensionem aliquam veri. Primum argumentum à testimonio Cyrenaicorum, cuius argumenti, sicut reliquorum, vna & communis est solutio, quòd licet sensus interdum verum sentiant, nihil tamen vnquam percipiunt: quia perceptio versatur circa communes & vniuersales notiones, sensus circa singulares.

15 Quia tactus organum non est ipsa caro, sed aliquid subtus carnem, in quo est sensus omnium rerum tactilium: & mediũ ipsum in tactu est nobis magis cognatum, quàm in reliquis sensibus.

16 Cyrenaici philosophi ab Aristippo Cyrenaico nomen habent, qui voluptatem corporis cum virtute copulauit, à Zenophonte condiscipulo refutatus.

17 Secundum argumentum à repugnantibus.

18 Transiit à singularibus notionibus sensuum ad generales animi notitias à sensibus profectas, quas declarat exemplis.

19 Alia sunt exempla earum notionũ quæ perfectam rei propositæ naturam definiendo comprehendunt.

20 Confirmat aliquam esse comprehensionem animo & mente factam, idque à repugnantibus. Syllogismus connexus secundus, cuius assumptio præcessit.

21 Secundum argumentum à circumstantiis comprehensionum.

22 Tertium argumentũ fallax est: memoria enim thesaurus est tam falsarũ, quàm verarum notionũ, & sæpe falsa meminimus, quæ tamen vera putamus esse.

23 Quartum argumentum à definitione artis, quæ constat ex multis præceptis varia notione comprehensis, vt Grammatica ex regulis orthographiæ, æthimologia, syntaxis, profodiæ.

24 Quintum argumentum à diuisione artis in duo genera, quorum vnum *θεωρητικόν* appellatur, alterum *πρακτικόν*. sic Plato in ciuili scientiam in agentem & cognoscentem partitur: quæ partitio antiqua magis, quàm vera est: quia omnes artes constant præceptis & vlti: præcepta autè speculationes quædam sunt & contemplationes, id est *θεωρηµατα*: vltus verò in actione vel opere cernitur, quæ *πραξις* est.

*Maximè verò virtutum cognitio confirmat percipi & comprehendi multa posse: in quibus solis inesse etiam scientiam dicimus, quam nos non comprehensionem modò rerum, sed eam stabilem quoque & immutabilem esse censemus: itémque sapientiam artem viuendi, quæ ipsa ex sese habeat constantiam. Ea autem constantia si nihil habeat percepti & cogniti, quero vnde nata sit, aut quomodo? Quero etiam, ille vir bonus qui statuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius, quàm aut officium prodat, aut fidem, cur has sibi tam graues leges imposuerit, cum, quamobrem ita oporteret, nihil haberet comprehensi, percepti, cogniti, consituti? Nullo igitur modo fieri potest, vt quisquam tanti æstimer æquitatem & fidem, vt eius conseruanda causa nullum supplicium recuset, nisi iis rebus assensus sit, quæ falsa esse non possunt. Ipsa verò sapientia si se ignorabit sapientia sit necne, quomodo primùm obtinebit nomen sapientiæ? deinde quomodo suscipere aliquam rem, aut agere fidenter audebit, cum certi nihil erit quod sequatur? Cum verò dubitabit quid sit extremum & vltimum bonorum, ignorans quòd omnia referantur, quò poterit esse sapientia? Atque etiam*

illud perspicuum est, constitui necesse esse initium, quod sapientia, cum quid agere incipiat, sequatur: idque initium esse naturæ accommodatum. <sup>8</sup> nam aliter appetitio (eam enim volumus esse *ἰκνῶ*, qua ad agendum impellimur, & id appetimus, quod est visum) moueri non potest. Illud autem quod mouet, prius oportet videri, eique credi: quod fieri non potest, si id quod visum erit, discerni non poterit à falso. <sup>9</sup> Quomodo autem moueri animus ad appetendum potest, si id quod videtur, non percipitur, accommodatumne naturæ sit, an alienum? itémque, si, quid officij sui sit, non occurrit animo, nihil vnquam omnino ager, ad nullam rem vnquam impelletur, nunquam mouebitur. <sup>10</sup> quòd si aliquid aliquando acturus est, necesse est id ei verum, quod occurrit, videri.

<sup>1</sup> Sextum argumentum ducitur à philosophia morali, quæ propositi de artibus argumenti species est, in qua Lucullus arbitratur inesse solidam & expressam scientiam, sed falso, cum vetus illa de moribus disciplina vanis opinionibus gētium & religione contineretur, non vllis demonstrationibus, quæ solæ philosophis videntur efficere scientiam.

<sup>2</sup> Probat firmā & certā esse virtutē κατὰ λῆξιν à causis: syllogism<sup>o</sup> cōnex<sup>o</sup> 2.  
Si constantia vitæ nihil habuit percepti, ex sapientia nasci non potuit:

Sed nascitur ex sapientia:

Habet igitur aliquid percepti.

Assumptio prima est, quæ complectitur definitiones sapientiae, vt ea sit ars viuendi per se firma, & ex præceptis certis & indubitatis constans, qualem veteres philosophi, qui sapientes habebantur, nullam consequi potuerunt, sed à vera & recta via sapientiae procul aberrarunt.

<sup>3</sup> Propositio syllogismi.

<sup>4</sup> Illustratio propositionis per species virtutis, fidem, æquitatem, fortitudinem, quas vir bonus & fortis maximè expetendas iudicat.

<sup>5</sup> Conclusio syllogismi.

<sup>6</sup> Secundum argumentum à repugnantibus. Syllogismus connexus tertius:

Si sapientia de se, rebusque sibi subiectis dubitet, non erit sapientia:

Sed non dubitat. (hæc enim rationem vitæ, finemque bonorum omnium perspicit)

Est igitur aliqua sapientia. Propositio syllogismi primo loco ponitur.

<sup>7</sup> Assumptio syllogismi ex remotione antecedentis, quæ confirmatur primis causis & elementis beatæ vitæ, de quibus Cicero libro 3, 4, 5, de finibus. Qui libri nobis Christianis fati indicant antiquis philosophis non modò ignotam fuisse

summam beatæ vitæ, sed etiam primas causas quæ hominem ad bene beatæque viuendum possent allicere. Itaque falso & supposito sapientiae nomine vanam quandam & impiam bene viuendi artem tradiderunt.

<sup>8</sup> Tertium argumentum à repugnantibus. Syllogismus connexus secundus:  
Si visum verum à falso discerni non potest, nullus erit appetitus, qui nos ad bene viuendum incitet:

Sed aliquis est appetitus, quo impellimur ad summum bonum:

Igitur visum verum discerni potest à falso.

<sup>9</sup> Amplificat proximum argumentum, iteratque syllogismum cōnexum secundi modi. Cuius propositio hæc est.

<sup>10</sup> Assumptio syllogismi & conclusio in eadem clausula reperiuntur, sicuti plerunque accidit in bonis authoribus.

<sup>1</sup> Quid quòd si ista vera sunt, ratio omnis tollitur, quasi quedam lux luménque vitæ: taménne in ista prauitate perstabitis? nam quærendi initium ratio attulit, quæ perfecit virtutem, cum esset ipsa ratio confirmata quærendo. <sup>2</sup> Quæstio autem est appetitio cognitionis: quæstionisque finis inuentio. <sup>3</sup> At nemo inuenit falsa: nec ea quæ incerta permanent, inuenta esse possunt: sed cum ea quæ quasi inuoluta fuerunt, aperta sunt, tum inuenta dicuntur. sic & initium quærendi, & exitus percipiendi & comprehendēdi tener. Itaque argumēti conclusio, quæ est Græcè ἀπόδειξις, ita definitur, Ratio quæ ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur, adducit. <sup>4</sup> Quòd si omnia visa eiusmodi essent, qualia isti dicunt, vt ea vel falsa esse possent, neque ea posset vlla notio discernere, quo modo quempiam aut conclusisse aliquid, aut inuenisse diceremus? aut quæ esset conclusi argumenti fides? <sup>5</sup> Ipsa autem philosophia, quæ rationibus progredi debet, quem habebit exitum? <sup>6</sup> Sapientia verò quid futurum est? quæ neque de se ipsa dubitare debet, neque de suis decreteris, quæ philosophi vocant λόγματα: quorum nullum sine scelere prodi poterit. cum

enim decretum proditur, lex veri rectique proditur. quo è vitio & amicitiarum prodiones, & rerumpublicarum nasci solèt. Non potest igitur dubitari, quin decretum nullum falsum possit esse, <sup>7</sup> sapientique satis non sit esse falsum, sed etiam stabile, fixum, ratum esse debeat, quod mouere nulla ratio queat. Talia autē neque esse, neque videri possunt eorum ratione, qui illa visa, è quibus omnia decreta sunt nata, negant quicquam à falsis interesse. <sup>8</sup> Ex hoc illud est natum, quod postulabat Hortensius, vt id ipsum saltem perceptum à sapiēte diceretis, nihil posse percipi. <sup>9</sup> Sed Antipatro hoc idem postulati, cum diceret, ei qui affirmaret nihil posse percipi, consentaneum esse vnū tamen illud dicere percipi posse, vt alia non possēt, <sup>10</sup> Carneades acutius resistebat. nam tantum abesse dicebat vt id consentaneum esset, vt maximè etiam repugnaret. qui enim negaret quicquam esse quod perciperetur, eum nihil excipere: ita necesse esse, ne id ipsum quidem quod exceptum non esset, comprehendere & percipi vllō modo posse. <sup>11</sup> Antiochus ad istū locum pressius videbatur accedere. quoniam enim id haberent Academici decretum (sentitis enim iam hoc μετὰ dicere) nihil posse percipi, non debere eos in suo decreto, sicut in ceteris rebus, fluctuare: praesertim cum in eo summa consisteret. <sup>12</sup> hanc enim esse regulam totius philosophiae, constitutionem veri, falsi, cogniti, incogniti. quam rationem quoniam susciperent, docerēque vellent quae à quouis accipi oporteret, & quae repudiari, certè hoc ipsum, ex quo omne veri falsique iudi-

cium esset, percipere eos debuisse. <sup>13</sup> etenim duo esse hæc maxima in philosophia, iudiciū veri, & finem bonorū: neque sapientem posse esse, qui aut cognoscendi esse initium ignoret, aut extremū expetēdi, vt aut vnde profiscatur, aut quò perueniendū sit, nesciat. <sup>14</sup> hæc autem habere dubia, neque his ita confidere vt moueri non possint, abhorrere à sapientia plurimum. Hoc igitur modo potius erat ab his postulandum, vt hoc vnum saltem, percipi nihil posse, perceptum esse dicerent. Sed de inconstantia totius illorum sententiæ, si vlla sententia cuiusquam esse potest nihil approbantis, sit, vt opinor, dictum satis. <sup>15</sup> Sequitur disputatio copiosa illa quidem, sed paulo abstrusior. habet enim aliquantum à physicis: vt verear ne maiorem largiar ei qui contrā dicturus est, libertatem & licentiā. nam quid eum facturum putem de abditis rebus & obscuris, qui lucem eripere conetur? <sup>16</sup> Sed disputari poterat subtiliter, quanto quasi artificio natura fabricata esset primū animal omne, deinde hominē maximè: quæ vis esset in sensibus: quemadmodū prima visa nos pellerēt, deinde appetitio ab his pulsa sequeretur: tum vt sensus ad res percipiēdas intēderemus. <sup>17</sup> mens enim ipsa, quæ sensuum fons est, atque etiam ipsa sensus est, naturalem vim habet, quam intendit ad ea quibus mouetur. itaque alia visa sic arripit, vt his statim vtatur, aliqua sic recondit: è quibus memoria oritur. <sup>18</sup> cetera autem similitudinibus construit, ex quibus efficiuntur notitiæ rerū, quas Græci tum <sup>19</sup> εἰδωλας, tum πρῶταίς vocant. eò cum accessit ratio, argumen-

ti que conclusio, rerumque innumerabilium multitudo, tum & perceptio eorum omnium apparet, & eadem ratio profecta his gradibus ad sapientiam peruenit.

<sup>20</sup> Ad rerum igitur scientiam, vitæque constantiam aptissima cum sit mens hominis, amplectitur maximè cognitionē: & istam κατάληψιν, quam, ut dixi, verbum è verbo exprimentes, comprehensionem dicemus, cum ipsam per se amat (nihil est enim ei veritatis luce dulcius) tū etiam propter usum. <sup>21</sup> Quocirca etiam sensibus vititur: & artes efficit quasi sensus alteros: & vsque eo philosophiā ipsam corroborat, ut virtutē efficiat, ex qua re vna vita omnis apta sit. <sup>22</sup> Ergo hi qui negant quicquam posse comprehendi, hac ipsa eripiunt vel instrumenta, vel ornamenta vitæ, vel potius etiam totam vitam euertunt funditus, ipsumque animal orbant animo: ut difficile sit de temeritate eorum, perinde ut causa postulat, dicere.

<sup>1</sup> Transit Lucullus à morali disciplina ad dialecticam, quam disputat esse comprehensionis alicuius & perceptionis, idque primū ab inuentione prima parte huius artis. Syllogismus simplex primi generis:

*Omnis inuentio est rerum verarum & certarum:*

*Quæstionis finis est inuentio:*

*Quæstionis igitur finis est rerum verarum & certarum.*

<sup>2</sup> Assumptio syllogismi.

<sup>3</sup> Propositio syllogismi falso probatur argumēto: non enim inuentionis est, efficere ut res vera vel falsa, certa vel incerta videatur, sed syllogismi: nec quæstio cum argumentis exposita est, dicitur inuenta esse, sed potius conclusa & iudicata: itaque videtur Lucullus inuentionem cum iudicio conturbare, quia iudicium quæstionis, quod in syllogismo situm est, ipse refert ad inuentionem.

<sup>4</sup> Concludit ex vtraque dialecticæ artis parte aliquam esse rerum κατάληψιν: hæc siquidem doctrina & argumētum perspicuum, quo res aliqua probetur, inuenit, & syllogismum constantem, quo de quæstione proposita iudicetur, construit.

<sup>5</sup> Hæc disputatio pertinet ad dialecticam methodum, quæ iubet in omnibus philosophiæ partibus via & ordine progredi, ut ea quæ dicuntur, faciliè intelligi & percipi possint.

<sup>6</sup> Vide quanta temeritas fuerit antiquorum philosophorum, qui discipulos

suos certis decretis sic addictos esse iubebant, ut scelus crederent de quoquam dubitare: cum tamen innumerabilia penè huiusmodi hominum dogmata falsa & impia fuerint. Hos philosophos Græci δογματικούς appellat, qui tanquam aliquid percipi posset, certas formulas artium descriperunt. Academicos autem ἐφευκτικούς, qui nihil definiunt, & de rebus ita disputant, ut comprehendi non possint.

<sup>7</sup> Hoc quidem de sapiente verè dictum est, quippe qui certam & stabilem scientiam teneat: sed veteres philosophi qui sua decreta sapientiæ tribuebant, stultè & insipienter sapientiæ laudem sibi vendicabant.

<sup>8</sup> Confectarium est ex propositione proximi syllogismi:

*Omne decretum debet esse philosopho ratum & perceptum:*

*Nihil posse percipi est decretum Academia nouæ:*

*Hoc igitur saltem ratum & perceptum Academicis esse debet.*

<sup>9</sup> Explicat scholasticas altercationes philosophorum. Prima est Antipatri Stoici contra nouam Academiam ab adiunctis. Academici dicunt nihil posse sciri: ergo hoc vnum saltem sciunt, nihil posse sciri.

<sup>10</sup> Carneades Antipatro resistit à genere ad speciem:

*Nulla res percipi potest:*

*Id autem ipsum, nihil posse percipi, est aliquares:*

*Non potest igitur vel id ipsum saltem percipi.*

In hac sententia cum esset Carneades, non utebatur his verbis, quæ plenam affirmationem significarent, sed iis tantum, quæ probabilè opinionem de his rebus, de quibus diserebatur, aliquam præ se ferrent, cuiusmodi essent, Ita opinor, Sic mihi videtur, & similia.

<sup>11</sup> Antiochus Carneadè refellit à similibus, vbi allegoria est à nauibus, quæ quemadmodum non fluctuant, cum summa aqua consistit, sic cum summa ratio sit Academia nouæ, nihil posse percipi, in ea fluctuare, & incerta esse non debet.

<sup>12</sup> Declarat similitudinem ab adiunctis. Syllogismus simplex primi generis:

*Regula philosophiæ est constitutio veri falsi, cogniti incogniti:*

*Academici sequuntur regulam philosophiæ:*

*Constituunt igitur verum, falsum, cognitum, incognitum.*

<sup>13</sup> Aliud argumentum ab adiunctis, & syllogismus ex eodem genere primo simplicium:

*Due sunt partes principes philosophiæ, Dialectica qua circa iudicium veri: &*

*Ethica, qua circa morum doctrinam versatur:*

*Sed Academici hæc dubia & incerta esse dicunt:*

*Abhorrent igitur à philosophiæ. Propositio prima est.*

<sup>14</sup> Assumptio & Conclusio.

<sup>15</sup> Hic Lucullus imitatur veteres dialecticos, qui disputationem de sensu & animorum notitiis præcipuam dialecticæ artis partem faciebant, ut docet Cicero primo Academico ad Varronem, cum tamen hæc vniuersa propriè ad physicam debeat referri, vbi differitur de facultatibus animæ.

<sup>16</sup> Duo sunt fontes, vnde manat omnis cognitio & perceptio, sensus & mēs, quorum vterque à rebus sibi oblati ad eas percipiendas mouetur.

<sup>17</sup> Animus in homine vnus est, qui videt, qui audit, qui olfacit, qui gustat, qui tangit, qui ratiocinatur & intelligit, sed tamen doctrinæ gratia distinguitur à philosophis, ut cum res corporeas & materiatis instrumentis corporeis percipit, sensus appelleretur: cum verò generales rerum notiones concipit, propriè mens dicatur, licet tamen, ut dixi, eadem anima vtrumque faciat.

<sup>18</sup> Animus generales notiones facit & construit ex inductione rerum speciei similibus.

<sup>19</sup> Ἐννοίας Cicero notiones & notitias vocat : προλήψεις verò anticipatio-  
nes: id est, anteceptas animo rerum quasi quasdam informationes, quòd animus per  
se res intelligat, antequam doceatur.

<sup>20</sup> Concludit totam vim mentis humanæ, ubi & finis ostenditur, ad quem na-  
ta est, & causæ, quæ ad finem ipsum referuntur.

<sup>21</sup> Quæmadmodum mens sensibus res speciales & materiatas: sic artibus res  
generales & vniuersas videt & cognoscit.

<sup>22</sup> Conclusio aduersus Academicos à repugnantibus.

<sup>1</sup> Nec verò satis constituere possum, quod sit eorum  
consiliū, aut quid velint. interdū enim cum adhibemus  
ad eos orationē eiusmodi, si ea quæ disputantur, vera sint,  
tum omnia fore incerta: respondent, <sup>2</sup> Quid ergo istud  
ad nos? num nostra culpa est? naturā accusa, quæ in pro-  
fundo veritatē, vt ait Democritus, penitus abstruserit.  
<sup>3</sup> Alij autē elegātius: qui etiā querūtur quòd eos insimu-  
lemus omnia incerta dicere: quantumque intersit inter  
incertū, & id quod percipi non possit, docere conantur,  
eaque distinguere. Cum his igitur agamus, qui hæc dis-  
tinguunt: illos qui omnia sic incerta dicunt, <sup>4</sup> vt stella-  
rum numerus par an impar sit, nesciatur, quasi despe-  
ratos aliquos relinquamus. <sup>5</sup> volunt enim, & hoc quidē  
vel maximè vos animaduertebam moueri, probabile  
aliquid esse, & quasi verisimile, eaque se vti regula &  
in agenda vita, & in quarendo, ac differendo. <sup>6</sup> Quæ  
ista regula est veri & falsi, si notionem veri & falsi,  
propterea quòd ea non possunt internosci, nullam ha-  
bemus? <sup>7</sup> nam si habemus, interesse oportet vt inter  
rectum & prauum, sic inter verum & falsum. <sup>8</sup> si nihil  
interest, nulla regula est, nec potest is cui est visio veri  
falsique communis, vllum habere iudicium, aut vllam  
omnino veritatis notam. <sup>6</sup> nam cum dicūt hoc se vnum

tollere, vt quicquā possit ita videri, vt non eodem modo  
falsum etiā possit ita videri: cetera autē cōcedere: faciūt  
pueriliter. quo enim omnia iudicantur sublato, reliqua  
se negant tollere: vt si quis quem oculus priuauerit, dicat  
ea quæ cerni possent, non se ei ademisse. Vt enim illa  
oculus modò cognoscuntur, sic reliqua visis, sed propria  
veri, non communi veri & falsi nota. <sup>10</sup> Quamobrem  
sue tu probabilem visionem, siue improbabilem, & quæ  
non impediatur, vt Carneades volebat, siue aliud quid  
proferes, quod sequare: ad visum illud de quo agimus,  
tibi erit reuertendum. <sup>11</sup> in eo autem si erit communitas  
cum falso, nullum erit iudicium, quia propriū in cōmuni  
signo notari non potest. sin autem commune nihil erit:  
habeo quod volo. id enim quero, quod ita mihi videat-  
ur verum, vt non possit idem falsum videri. <sup>12</sup> Simili  
in errore versantur, cum conuicti, ac iudicio veritatis  
coacti, perspicua à perceptis volunt distinguere, & co-  
nantur ostendere esse aliquid perspicui, verum illud  
quidē impressum in animo atque in mēte: neque tamen  
id percipi ac comprehendi posse. quo enim modo perspi-  
cūe dixeris album esse aliquid, cum possit accidere, vt  
id quod nigrum sit, album esse videatur? aut quo modo  
ista aut perspicua dicemus, aut impressa subtiliter, cum  
sit incertum, verè, inanitérne moueatur? ita neque color,  
neque corpus, neque veritas, neque argumentum, neque  
sensus, neque perspicuum vllum relinquatur. <sup>13</sup> Ex hoc  
illud his vsu venire solet, vt quicquid dixerint, à quibus-  
dam interrogentur, Ergo istuc quidem percipis? sed qui

ita interrogant, ab his irridentur. non enim urgent, ut coarguant neminem vlla de re posse contendere, neque assenerare sine aliqua eius rei quam sibi quisque placere dicit, certa & propria nota. <sup>14</sup> Quod est igitur istuc vestrum probabile? nam si quod cuique occurrit, & primo quasi aspectu probabile videtur, id confirmatur: quid eo leuius? sin ex circumspectione aliqua, & accurata consideratione, quod visum sit, id se dicent sequi: tamen exitum non habebunt. <sup>15</sup> primùm quia his visis, inter quæ nihil interest, æqualiter omnibus abrogatur fides. <sup>16</sup> deinde cùm dicant posse accidere sapiēti, ut cùm omnia fecerit, diligentissimèque circumspexerit, existat aliquid quod & verisimile videatur, & absit longissimè à vero: quomodo, si magna parte quidè, ut solent dicere, ad verum ipsum, aut quamproximè accedant, confidere sibi poterunt? <sup>17</sup> Ut enim confidant, notum his esse debet insigne veri: quo obscuro & oppresso, quod tandem verum sibi videbuntur attingere? <sup>18</sup> Quid autem tam absurdè dici potest, quam cùm ita loquuntur, Est hoc quidem illius rei signum, aut argumentum, & ea re id sequor: sed fieri potest, ut id quod significatur, aut falsum sit, aut nihil sit omnino? Sed de perceptione hætenus. si quis enim ea quæ dicta sunt, labefactare volet, facile etiam absentibus nobis veritas se ipsa defendet.

<sup>1</sup> Lucullus disputavit generatim pro comprehensione contra novos Academicos, deinceps sententias illorum & rationes elicit, ut eas refellat: hæc igitur specialis est refutatio aduersus quædam decreta academicorum κατ'ἀληθειᾶ tollentium.

<sup>2</sup> Prima defensio academicorum sumitur à causâ inuentionis.

<sup>3</sup> Altera defensio à distinctione dissimilium, quod aliud ἀδύλον sit, id est, incertum: aliud ἀκατάληκτον, id est, incomprehensibile.

<sup>4</sup> Ne id quidem sciri potest, quia stellæ dinumerari non possunt.

<sup>5</sup> Hæc thesis est Academicorum, aliquid esse probabile, aliquid improbabile: ipsumque probabile vnicam esse regulam, quam sequantur in omni disputatione & consideratione veri & falsi.

<sup>6</sup> Refutatio thesæ à repugnantibus. Syllogismus connexus secundus.

<sup>7</sup> Propositio.

<sup>8</sup> Assumptio & Conclusio.

<sup>9</sup> Occupat interpretationem sententia: Academici enim interdū dicebant res suapte natura posse percipi, sed earum notiones in animis nostris esse confusas: itaque causam ignorantia non rebus, sed animis nostris tribuebant: quam interpretationem Lucullus refellit à similibus.

<sup>10</sup> Conclusio cum iteratione superioris argumenti.

<sup>11</sup> Occupat alterum Academicum decretū, quo aliquid esse perspicuum, nihil tamen esse perceptum dicitur. Locus est dissimilitudinis ad distinguendū τὸ ἐναγγιῶς id est perspicuum, καὶ τὸ κατ'ἀληθειᾶ, id est comprehensibile, ut illud sit, quod habet aliquam cognationem cum vero, sed tamè incertum est, an sit verum semper, necne: hoc autem, quod ita verum cognoscitur, ut falsum esse non possit.

<sup>12</sup> Refutat definitionem perspicui à repugnantibus.

<sup>13</sup> Tertia prolepsis contra Academicos, & eorum responsio de ratione disputandi & iudicandi, ut nihil omnino affirmetur, quod non habeat propriam & certam veri notam, id est, quod non sit cognitum verum propriis & certis & euidentibus causis, qualis scientia de re vlla constare nobis nulla potest.

<sup>14</sup> Refutatio huius postremi decreti à repugnantibus, vbi est dilemma bipartitum, & vtriusque partis depulsio.

<sup>15</sup> Secunda pars dilemmatis tribus argumentis tollitur: primū est à causis.

<sup>16</sup> Secundum à repugnantibus.

<sup>17</sup> Syllogismus connexus secundus plenus est & integer.

<sup>18</sup> Tertium & postremum argumentum à repugnantibus.

<sup>1</sup> His satis cognitis, quæ iam explicata sunt: nunc de assensione atque approbatione, quam Græci συγκατάθεσι vocant, pauca dicemus, non quò non latus locus sit: sed paulò antiè iacta sunt fundamenta. nam cùm vim quæ esset in sensibus, explicabamus, simul illud aperiebatur, comprehendi multa & percipi sensibus: quod fieri sine assensione non potest. <sup>2</sup> deinde cùm inter inanimum & animal hoc maximè intersit, quòd inanimum nihil agit, animal agit aliquid: (nihil enim agens ne cogitari quidè potest quale sit) aut ei sensus adimendus est, aut ea quæ est in nostra potestate sita, reddenda assensio. <sup>3</sup> At verò animus quodammodo eripitur iis quos neque sentire, neque assentiri volunt. <sup>4</sup> etenim necesse est ut lancem in

libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere. <sup>5</sup> nam quomodo non potest animal vllum non appetere id quod accommodatum ad naturam appareat (Græci id ὁμείον appellant) sic non potest obiectā rem perspicuam non approbare. <sup>6</sup> Quanquam si illa, de quibus disputatum est, vera sunt: nihil attinet de assensione omnino loqui. qui enim quid percipit, assentitur statim. <sup>7</sup> Sed hæc etiam sequuntur, nec memoriam sine assensione posse cōstare, neque notitias rerum, nec artes: idque, quod maximum est, vt sit aliquid in nostra potestate, in eo qui rei nulli assentietur, non erit. <sup>8</sup> Vbi igitur virtus, si nihil situm est in ipsis nobis? Maximè autem absurdū, vitia in ipsorū esse potestate, neque peccare quenquā nisi assensione: hoc idē in virtute non esse, cuius omnis constantia & firmitas ex his rebus constat, quibus assensa est, & quas approbavit: omninoque antè videri aliquid, quā agamus, necesse est, eique quod visum sit, assentiamur. Quare qui aut visum, aut assensum tollit, is omnem actionem tollit è vita.

<sup>1</sup> Lucullus transit ad secundam thesim suæ confirmationis, quod aliquid in philosophia sit approbandum: quam breuiter disputat, quia argumenta superiora huc referri possunt. Primus locus ab efficiente causa: perceptio enim gignit assensionem & approbationem rei proposita.

<sup>2</sup> Secundus locus à distinctione dissimilium: inanimū nihil agit, animal motus habet liberos, quibus assentitur.

<sup>3</sup> Tertius locus ex absurda consecutione repugnātium: hæc enim duo pugnant animum esse, & assensum animi nullum esse: qui locus duobus similibus explicatur.

<sup>4</sup> Prima similitudo à lance. <sup>5</sup> Secūda similitudo à naturali appetitione.

<sup>6</sup> Correctio cum iteratione primi argumenti, Multa percipiuntur: ergo multa approbantur.

<sup>7</sup> Quartus locus reuocat ex superiore disputatione quatuor argumenta de memoria, de notitijs, de artibus, de virtutibus.

<sup>8</sup> Quintus illustratur à paribus: vitium est in nostra potestate: igitur & virtus. Sed subductis omnibus Luculli rationibus, licet hæc veræ sint, intelligimus tamē eas contra novos Academicos nihil facere, qui neque motus liberos, neque assen-

sum omnem tollunt (sapientem enim volunt rebus assentiri probabilibus) sed assensum temerarium & arrogantem & impudentem: in quem incidunt stulti philosophi, cum quidpiam tanquam firmum & ratum, & certum, & perceptum sit, sine vlla prorsus dubitatione approbant, seque perfectissimè scire profitentur: quæ assensum iure & merito Academici in antiqua philosophia damnandum esse censuerunt: quod in illa nulla scientia traderetur, sed opiniones tantum probabiles philosophorum varijs altercationibus disputarentur.

<sup>1</sup> Nunc ea videamus, quæ contrā ab his disputari solent. sed prius potestis totius eorum rationis quasi fundamenta cognoscere. <sup>2</sup> Componunt igitur primū artē quandam de his quæ visa dicimus: eorūque & vim & genera definiunt: in his quale sit id quod percipi & comprehendi possit, totidem verbis, quot Stoici. <sup>3</sup> deinde illa exponunt duo, quæ quasi contineant omnem hanc quæstionem: quæ ita videantur, vt etiam alia multa eodem modo videri possint: neque in his quicquam inter sit, posse eorum alia percipi, alia non percipi. <sup>4</sup> nihil interesse autem, non modò si ex omni parte eiusdē modi sint, sed etiā si discerni non possint. quibus positus, vnius argumenti conclusione tota ab his causa cōprehenditur. Composita autem ea conclusio sic est: Eorum quæ videntur, alia vera sunt, alia falsa: & quod falsum est, id percipi non potest: quod autem verum visum est, id omne tale est, vt eiusdem modi falsum etiam possit videri. Et quæ visa sunt eiusmodi, vt in iis nihil intersit: non potest accidere vt eorum alia percipi possint, alia non possint. Nullū igitur est visum quod percipi possit. <sup>5</sup> Quæ autem sumunt vt concludant id quod volunt: ex his duo sibi putant concedi. neque enim quisquam repugnat. Ea sunt hæc, Quæ visa falsa sint, ea percipi

non posse: & alterum, Inter quæ visa nihil intersit, ex his non posse alia talia esse, ut percipi possint, alia ut non possint. Reliqua verò multa & varia oratione defendunt: quæ sunt item duo: vnum, eorum quæ videantur, alia vera esse, alia falsa: alterum, omne visum quod sit à vero, tale esse, quale etiam à falso possit esse. Hæc duo proposita non præteruolant, sed ita dilatant, ut non mediocrem curam adhibeant & diligentiam.<sup>7</sup> diuidunt enim in partes, & eas quidem magnas. primùm in sensus, deinde in ea quæ ducuntur à sensibus, & ab omni consuetudine, quam obscurari volunt: tum perueniunt ad eam partem, ut ne ratione quidem & coniectura vlla res percipi possit.<sup>8</sup> Hæc autem vniuersa concidunt etiam minutius.<sup>9</sup> Ut enim de sensibus hesternò sermone vidistis, item faciunt de reliquis: in singulisque rebus, quas in minima dispertiunt, volunt efficere, his omnibus quæ visa sint, veris adiuncta esse falsa, quæ à veris nihil differant: ea cum talia sint, non posse comprehendere.<sup>10</sup> Hanc ego subtilitatē philosophia quidē dignissimā iudico, sed ab eorū causa qui ita differunt, remotissimam. definitiones enim & partitiones, & horū luminibus vtens oratio, tum similitudines dissimilitudinēque, & earum tenuis & acuta distinctio, fidētium est hominum illa vera & firma & certa esse quæ tutentur: nō eorū qui clamēt nihilo magis vera illa esse, quàm falsa.

<sup>11</sup> Quid enim agant, si cum aliquid definerint, roget eos quispiam, num illa definitio possit in aliam rem trāsferri quālibet? si posse dixerint: quid dicere habeat cur

illa vera definitio sit? si negauerint: fatendum sit, quoniam vel illa vera definitio transferri non possit in falsum, vel quod ea definitione explicetur, id percipi posse. quod minimè illi volunt. Eadem dici poterunt in omnibus partibus.<sup>12</sup> Si enim dicent ea, de quibus differant, se dilucidè perspicere, nec vlla communione visorum impediri: comprehendere ea se posse fatebuntur.<sup>13</sup> Sin autem negabunt vera visa à falsis posse distinguere: quā poterūt longius progredi? occurreret enim sicut occursum est. nam concludi<sup>14</sup> argumentum non potest, nisi his quæ ad concludendum sumpta erunt, ita probatis, ut falsa eiusdem modi nulla possint esse.<sup>15</sup> Ergo si rebus comprehensis & perceptis, visa & progressa ratio hoc efficiet, nihil posse comprehendere: quid potest reperiri, quod ipsum sibi repugnet magis?<sup>16</sup> Cumque ipsa natura accurata orationis hoc profiteatur, se aliquid patefacturam quod nō appareat, & quo id facilius assequatur, adhibiturā & sensus, & ea quæ perspicua sint: qualis est istorum oratio, qui omnia non tam esse, quàm videri volunt? Maximè autem conuicuntur, cum hæc duo pro congruentibus sumunt tam vehementer repugnantia: primùm, esse quædam falsa visa: quod cum volunt, declarant quædam esse vera: deinde, inter falsa visa & vera nihil interesse.<sup>17</sup> At primùm sumpseras, tanquam interesset. ita priori posterius, posteriori superius non iungitur.

<sup>1</sup> Hactenus disputatum est pro assensione & comprehensione, quæ duo sunt capita totius Academicæ disputationis. Confirmationem sequitur refutatio, in qua Lucullus primùm exponit totam rationem & sententiam Academicorum, ut ad singula eorum argumenta facilius respondeat.

<sup>2</sup> Artem de visis ex sententiâ Stoicorum Laertius breuiter explicat in vita Ze-

nonis, vbi visum primùm definitur forme in animo impressio, quæ fit ex eo vnde est, qualis esse non potest ex eo, vnde non est: quæ definitio visum verum duntaxat explicat: Deinde tribus modis diuiditur: aliàs in visum sensibile, vt domus: & non sensibile, vt Deus: aliàs in irrationale, vt visum pecudis: & rationale, vt visum hominis: aliàs in artificiale & inartificiale: nam imagines aliter à doctis, aliter ab indoctis percipiuntur.

3 Duæ sunt hypothese primæ Academicorum, & quasi fundamenta totius disputationis.

4 Concludit syllogismo simplici primi generis totam Academicam questionem, in quo syllogismo quatuor sunt decreta, quorū tria prima sunt assumptionis: quartū est propositio syllogismi, cui proximæ additur conclusio. Syllogismus sic habet:

*Nulla visa, inter quæ nihil interest, percipi possunt:*

*Inter omnia visa nihil interest:*

*Nulla igitur visa percipi possunt.*

5 Distinguit quatuor decreta in syllogismo sumpta, quorum duo Academici sibi concedi postulant, secundum & quartum: duo item rationibus & argumentis probant, primum & tertium.

6 Metaphora ab auibus, quæ, vltra volando celeriter effugiunt: vt libro primo de Oratore, Illud mihi à te nimium festinanter dictum videtur, sapientes omnes semper esse beatos, nescio quo modo prateruolauit oratio.

7 Amplificatio tertii decreti ad illustrandam assumptionem constat inductione earum rerum, quæ sub sensus vel animum cadunt.

8 Conclusio assumptionis.

9 Iterat conclusionem totius syllogismi.

10 Incipit Lucullus disputare contra Academicorum orationem modò expositam. Prima refutatio sumitur à causis efficientibus κατὰ ληΐν, quæ superiori thesi repugnant: nam cum Academici definiunt visum, & partiuntur, & genera visorum declarant, κατὰ ληΐν efficiunt, quam tamen inueniri posse negant: sed ipsi dicerent se definire & diuidere res probabiles, non cognitæ & perceptas.

11 Illustrat proximum argumentum ex dialectica lege definitionis, vbi dilemma est à repugnantibus ad conuincendum Academicos.

12 Alterum dilemma ex eodem loco repugnantium sumptum.

13 Confirmat secundam partem dilemmatis à repugnantibus, quæ sunt argumentari ex propositione & assumptione, perceptis & probatis, & tamè dicere nihil percipi posse. Sed Academici respondēt syllogismos ex rebus probatis de re proposita iudicare, non è perceptis & certa scientia comprehēsis: & humana iudicia solis ferè opinionibus niti.

14 Hic argumentum pro argumentatione dici videtur, quæ confici nō potest, vt aduersus repugnantem aliquid concludat, nisi antecedentia probata, & pro veris sumpta fuerint.

15 Conclusio ad iudicandam apertam repugnantiam in superiore syllogismo Academicorum.

16 Aliud argumentum item à pugnantibus, quæ sunt, proprium esse orationis sensa mentis explicare, & nihil percipi posse, vbi tamen repugnantia iudicio Academicorum nulla est, qui aiunt orationem repertam esse ad explicanda sensa mentis, quæ partim probabilia, partim improbabilia nobis occurrant, non ad interpretandam vllam scientiam quæ in homine nulla sit, aut nunquam fuerit.

17 Postremo loco Lucullus refellit duo capita Academicici syllogismi, primū & tertium, in quibus indicat apertam repugnantiam.

1 Sed progrediamur longius, & ita agamus, vt nihil nobis assentati esse videamur: quæque ab his dicuntur, sic persequamur, vt nihil in præteritis relinquamus. Primum igitur perspicuitas illa, quam diximus, satis magnam habet vim, vt ipsa per sese ea quæ sint, nobis ita vt sint indicet. Sed tamen vt maneamus in perspicuis firmissis & constantius, maiore quadam opus est vel arte, vel diligentia: ne ab his quæ clara sint ipsa per sese, quasi prestigiis quibusdā & captionibus depellamur. 2 Nam qui voluit subuenire erroribus Epicurus iis qui videntur conturbare veri cognitionem, dixitque sapientis esse, opinionem à perspicuitate seiungere, nihil fecit: ipsius enim opinionis errorem nullo modo sustulit. 3 Quamobrem cum duæ causæ perspicuis & evidentibus rebus aduersentur, auxilia totidem sunt contrà comparanda: aduersantur enim primum quòd parum desigunt animos, & intendunt in ea quæ perspicua sunt, vt quanta luce ea circumfusa sunt, possint agnoscere. alterum est, quòd fallacibus & captiosis interrogationibus circumscripti atque decepti quidam, cum eas dissoluere non possunt, desciscunt à veritate. Oportet igitur & ea quæ pro perspicuitate responderi possunt, in promptu habere, de quibus iam diximus: & esse armatos, vt occurrere possimus interrogationibus eorum, captionesq; discutere. quod deinceps facere constitui. 4 Exponam igitur generatim argumenta eorum, quoniam ipsi etiam illa solēt non confuse loqui. Primum conantur ostendere multa posse videri esse, quæ omnino nulla sunt, cum animi inaniter

moueatur eodem modo rebus iis quæ nullæ sint, vt iis quæ sint. Nam cum dicatis, inquit, visa quedam mitti à Deo, velut ea quæ in somniis videantur, quæque oculis, auspiciis, extis declarentur (hæc enim aiunt probari à Stoicis, quos contra disputant) querunt quonam modo, falsa visa quæ sint, ea deus efficere possit probabilia: quæ autè planè proximè ad verum accedunt, efficere non possit? aut si ea quoque possit, cur illa non possit, quæ perdifficiliter, internoscantur tamen? & si hæc, cur non inter quæ nihil sit omnino? <sup>6</sup> deinde cum mens moueatur ipsa per sese, vt & ea declarant quæ cogitatione depingimus, & ea quæ vel furiosis vel dormientibus videntur: nonne, inquit, verisimile sit sic etiam mentem moueri, vt non modò non internoscat vera illa visa sint, ànne falsa, sed vt in his nihil intersit omnino? vt, si qui tremere & exalbescerent vel ipsi per se motu mentis aliquo, vel obiecta terribili re extrinsecus, nihil interesset quò distingueretur tremor ille & pallor, neque vt quicquid interesset inter <sup>7</sup> intestinum & oblatum. <sup>8</sup> Postremò si nulla visa sint probabilia, quæ falsa sint: alia ratio est. sin autem sunt: cur non etiam quæ non facile internoscantur? cur non vt planè nihil intersit? præsertim cum ipsi dicatis, sapientem in furore sustinere se ab omni assensu, quia nulla in visis distinctio appareat. <sup>9</sup> Ad has omnes visiones inanes Antiochus quidem & permulta dicebat, & erat de hac vna re vnius diei disputatio. Mihi autem non idem faciendum puto: sed ipsa capita dicenda: & primum quidem hoc reprehendendum, quòd captiosissimo

genere interrogationis vtuntur: quod genus minimè in philosophia probari solet, cum aliquid minutatim & gradatim additur aut demitur: <sup>10</sup> Soritas hos vocant, qui aceruū efficiunt vno addito grano. Vitiosum sanè, & captiosum genus. <sup>11</sup> Sic enim ascenditis: Si tale visum obiectum est à Deo dormienti, vt probabile sit, cur non etià vt valde verisimile? cur deinde non vt difficiliter à vero internoscatur? deinde vt ne internoscatur quidem? postremò vt nihil inter hoc & illud intersit? <sup>12</sup> Huc si peruenieris, me tibi primum quidque concedente: meum vitium fuerit. sin ipse tua sponte processeris: tuum. Quis enim tibi dederit, aut omnia Deum posse, aut ita facturum esse, si possit? <sup>13</sup> quomodo autè sumus, vt siquid cui simile esse possit, sequatur, vt etià difficiliter internosci possit? deinde vt ne internosci quidem? <sup>14</sup> Postremò, vt eadem sint? vt si lupi canibus similes, eosdem dices ad extremum. Et quidem honestis similia sunt quedam <sup>15</sup> non honesta, & bonis non bona, & artificiosis minimè artificiosa. quid dubitamus igitur affirmare, nihil inter hæc interesse? Ne repugnantia quidem videmus. <sup>16</sup> nihil est enim quod de suo genere in aliud genus transferri possit. At si efficeretur, vt inter visa differentium generum nihil interesset: reperirentur quæ & in suo genere essent, & in alieno. quod fieri quò potest? <sup>17</sup> Omnium deinde inanium visorum vna depulsio est, siue illa cogitatione informantur, quod fieri solere concedimus: siue in quiete, siue per vinum, siue per insaniam. Nam ab omnibus eiusdem modi visis perspicuitatem, quam mordicè te-

nere debemus, abesse dicemus.<sup>18</sup> quis enim cum sibi fingit aliquid, & cogitatione depingit, non simul ac se ipse commouit, atque ad se reuocauit, sentit quid intersit inter perspicua & inania?<sup>19</sup> Eadem ratio est somniorum. Num censes Ennium, cum in hortis cum Seruio Galba vicino suo ambulasset, dixisse, *Visus sum mihi cum Galba ambulare?* at cum somniauit, ita narrauit: *Visus Homerus adesse poëta.*

*Idemque in Epicharmo,*

*Nam videbar somniare me & ego esse mortuum. Itaque simul ut experrecti sumus, visa illa cõtemnimus, neque ita habemus ut ea quæ in foro gessimus.<sup>20</sup> At enim dum videntur, eadem est in somniis species eorum quæ vigilantes videmus. plurimum interest. Sed id omitteremus: illud enim dicimus, non eandem esse vim neque integritatem dormientium & vigilantium, nec mente, nec sensu.<sup>21</sup> Ne vinolenti quidem quæ faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii: dubitant, hæsitant, reuocant se interdum, iisque quæ videntur, imbecillius assentiuntur:<sup>22</sup> cumque edormiuerunt, illa visa quam leuia fuerint, intelligunt. Quod idem contingit insanis, ut & incipientes furere, sentiant, & dicant aliquid quod non sit, id videri sibi: & cum relaxentur, sentiant, atque illa dicant Alcmeonis,*

*<sup>23</sup> Sed mihi neutiquã cor consentit cum oculorũ aspectu.*

Excitat deinceps Lucullus nouam attentionem, ut disputet contra Academicos de perspicuitate visorum, quam confirmat esse in rerum natura tribus efficientibus causis, natura, arte, & exercitatione: quibus efficitur, ut vnaquæque res perspicuè teneatur: nam & res sua sponte se nobis ostendit, & ars eas via & ordine

docet, & exercitatio quantumvis obscuras & abditas in lucem profert, quæ omnia Lucullo concedantur licet, non efficient tamen aliquam esse perspicuitatem adiunctam scientiæ, id est aliquam esse perspicuam & euidentem & illustrem scientiam. Artium enim præcepta perspicua sunt, sed perspicuitate probabili, nõ certa, firma, rata, cõprehensa: quæ quidem Academici ab artibus philosophiæ abesse rectè cõfirmant.

<sup>2</sup> Ut præstigiatores oculorum, sic sophistæ mentis aciem fallunt, ut res nobis alia videantur, quam re vera sint.

<sup>3</sup> Egressiuncula in Epicurum in dialecticis rudem, qui opinionem erroris fustulit, quia docuit quo modo vera vel falsa esset opinio.

<sup>4</sup> Opponit duas causas aduersarias perspicuitati, negligentiam in meditando, & captionem sophisticam: totidemque contraria remedia: diligentem rerum circumspectionem, & sophismatum declinationem.

<sup>5</sup> Propositio est Academicæ contentionis, de confusione visorum, qua Academicus vtebatur contra Stoicos: Primum argumentum est ab adiunctis, & Sorites captiosus trium graduum, ubi tres sunt propositiones trium syllogismorum connexorum captiosæ & fallaces, ut paulò post intelligetur.

<sup>6</sup> Secundum argumentum à causa prima cognitionis, quæ est mens: & propositio syllogismi connexa, sed fallax & inconsequens.

<sup>7</sup> Instestin timor est mente conceptus, oblatus autem ab obiecta re terribili nobis iniectus.

<sup>8</sup> Tertium argumentum idem est cum primo, ubi etiam iteratur captiosus Sorites, qui confirmatur autoritate Stoicorum.

<sup>9</sup> Lucullus respondet ad Academicum Soritem argumentis Antiochi, sed cõtractis & breuius expositis: prima refutatio est ipsius argumentationis, quæ captiosè concluditur.

<sup>10</sup> Definit Soritem ex etymologia nominis, quod per similitudinem trãslatum est ab aceruo ex multis granis facto.

<sup>11</sup> Iterat Soritem Academicorum, ut ad singulas eius partes respondeat.

<sup>12</sup> Refellit primum gradum duplici negatione, Deus non potest omnia, et si posset, visa tamen falsa, verisimilia non faceret.

<sup>13</sup> Persequitur reliquos gradus simili inficiatione.

<sup>14</sup> Conclusio Sorite refellitur exemplis repugnantibus.

<sup>15</sup> Prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & magnitudinem animi superbia in animis extollendis, & despicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiã duritia immanis, & iustitiam acerbitas, & religionem superstitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam disputandi prudentiam concertatio captiosæque verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profuentia loquendi. Cicero in Partitionibus.

<sup>16</sup> Aliud argumentum aduersus conclusionem ex generis & speciei loco: diuersorum enim generum, quorum aliud sub alio non continetur, diuersa sunt species & differentie: vnde efficitur visa eadem esse non posse. syllogismus est connexus secundi modi.

<sup>17</sup> Distinguit genera visorum inaniũ ex subiecti ratione, ut ea accidant partim vigilantibus, partim dormientibus, partim vinolentis, partim furiosis, in quorum nonnullis Lucullus negat inesse perspicuitatem.

<sup>18</sup> Prima distinctio à dissimili, vigilantes visa certa & perspicua facilè secerunt à falsis.

<sup>19</sup> Altera distinctio de visis dormitiū declaratur exemplo & autoritate Ennii, & dissimilitudine.

<sup>20</sup> Occurrit tacite obiectioni à dissimilibus.

<sup>21</sup> Tertia distinctio de visis ebriorum confirmatur ex eodem loco dissimiliū.

<sup>22</sup> Quarta de furiosis constat item ex dissimilibus.

<sup>23</sup> Verba Alcmeonis sumpta sunt ex Alcmeone tragœdia Euripidis, quā Ennius Latinam fecerat.

<sup>1</sup> At enim ipse sapiens sustinet se in furore, ne approbet falsa pro veris: & aliàs quidem saepe, si aut in sensibus ipsius est aliqua fortè gravitas, aut tarditas, aut obscuriora sunt quæ videntur, aut à perspicendo temporis breuitate excluditur. <sup>2</sup> Quanquam totum hoc, sapientem aliquando sustinere assensionem, contra vos est. <sup>3</sup> si enim inter visa nihil interesset, aut semper sustineret, aut nunquam. Sed ex hoc genere toto perspicere potest leuitas orationis eorum qui omnia cupiunt confundere. <sup>4</sup> Querimus gravitatis, constantiæ, firmitatis, sapientiæ iudicium: utimur exemplis somniantium, furiosorum, ebriosorum. illud attendimus, in hoc omni genere quàm inconstanter loquamur: non enim proferremus vino aut somno oppressos, aut mente captos, tam absurde, ut tum diceremus interesse inter vigilantium visa, & sobriorum & sanorum, & eorum qui essent aliter affecti: tum nihil interesse? <sup>5</sup> Ne hoc quidem cernunt, omnia se reddere incerta, quod nolunt: ea dico incerta, quæ ἀδύνα Græci. <sup>6</sup> Si enim res se ita habeant, ut nihil intersit vtrum ita cui videatur, ut insano, an sano: cui possit exploratum esse de sua sanitate? quod velle efficere, non mediocris insania est. <sup>7</sup> Similitudines verò aut geminorum, aut signorum annulis impressorum pueriliter confectantur. <sup>8</sup> quis enim nostrum similitudines negat

esse, cum ea plurimis in rebus appareant? Sed si satis est ad tollendam cognitionem, similia esse multa multorum, cur eo non estis contenti, præsertim cōcedentibus nobis? & cur id potius contenditis, quod rerum natura non patitur, ut non suo quidque genere sit tale, quale est, nec sit in duobus aut pluribus nulla re differens vlla cōmunitas, ut sibi sint & oua ouorum, & apes apum similitudina? Quid pugnas igitur? aut quid tibi vis in geminis? conceditur enim similes esse: quo contentus esse potueras. <sup>9</sup> tu autem vis eosdem planè esse, non similes. quod fieri nullo modo potest. deinde confugis ad physicos, eos qui maximè in academia irridentur: à quibus ne tu quidem iam te abstinebis: <sup>10</sup> & ais Democritum dicere innumerabiles esse mundos, & quidem sic quosdam inter sese non solum similes, sed vndique perfectè & absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus intersit, & eos quidem innumerabiles: itémque homines. <sup>11</sup> Deinde postulas, ut si mundus ita sit par alteri mundo, ut inter eos ne minimum quidè intersit, concedatur tibi ut in hoc quoque nostro mundo aliquid alicui sic sit par, ut nihil differat, nihil intersit. <sup>12</sup> Cur enim, inquires, cum ex illis indiuiduis, vnde omnia Democritus gigni affirmat, in reliquis mundis, & in his quidem innumerabilibus, innumerabiles <sup>13</sup> Qu. Lutarij Catuli non modo possint esse, sed etiam sint: in hoc tanto mundo Catulus alter non possit effici? <sup>14</sup> Primum quidem me ad Democritum vocas, cui non assentior: potiùsque refellam, propter id, quod dilucidè docetur à politioribus physicis, singularum rerum

singulas proprietates esse. Fac enim antiquos illos Seruilius, qui gemini fuerunt, tam similes quam dicuntur: num censes etiam eosdem fuisse? non cognoscebantur foris, at domi: non ab alienis, at à suis.<sup>15</sup> An non videmus hoc usu venire, ut quos nunquam putassemus à nobis internosci posse, eos consuetudine adhibita tam facile internosceremus, uti ne minimum quidem similes esse viderentur? Hic pugnes licet, non repugnabo: quin etiam concedam, illum ipsum sapientem, de quo omnis hic sermo est, cum ei res similes occurrant, quas non habeat denotatas, retenturum assensum, nec unquam ulli viso assensurum, nisi quod tale fuerit, quale falsum esse non possit. Sed ad ceteras res habet artem quandam qua vera à falsis possit distinguere: & ad similitudines istas usus adhibendus est.<sup>16</sup> Ut mater geminos internoscit consuetudine oculorum: sic tu internosces, si assueueris.<sup>17</sup> Vidēsne ut in proverbio sit ouorum inter se similitudo? tamen hoc accepimus,<sup>18</sup> Deli fuisse complures saluis rebus illis, qui gallinas alere permultas quæstus causa solerent.<sup>19</sup> hi cum ouum inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant. Neque id est contra nos: nam nobis satis est oua illa internoscere. nihilo enim magis assentiri potest hoc illud esse, quam si inter illa omnino nihil interesset. habeo enim regulam, ut talia visa vera iudicem, qualia falsa esse non possint. ab hac mihi non licet transuersum, ut aiunt, digitum discedere, ne confundam omnia. veri enim & falsi non modò cognitio, sed & natura tollitur, si nihil

erit quod intersit.<sup>20</sup> ut etiam illud absurdum sit, quod interdum soletis dicere, cum visa in animos imprimatur, non vos id dicere, inter ipsas impressiones nihil interesse, sed inter species & quasdam formas eorum. Quasi verò non specie visa iudicentur, qua fidem nullam habebunt sublata veri & falsi nota.<sup>21</sup> Illud verò perabsurdum quod dicitis, probabilia vos sequi, si re nulla impediamini. Primum quò potestis non impediri, cum à veris falsa non distent? deinde quod iudicium est veri, cum sit comune falsi?<sup>22</sup> ex his illa necessario nata est ἐπιτοχὴ, id est assensionis retentio: in qua melius sibi constitit Arcefilas, si vera sunt quæ de Carneade nonnulli existimant. Si enim percipi nihil potest, quod utrique visum est: tollendus assensus est. quid enim est tam futile, quam quicquam approbare non cognitum?<sup>23</sup> Carneadē autem etiam heri audiebamus solitum esse delabi interdum, ut diceret opinaturum, id est peccaturum esse sapientem.<sup>24</sup> Mihi porrò non tam certum est esse aliquid quod comprehendere possit, de quo iam etiam nimium diu disputo: quam sapientem nihil opinari, id est, nunquam assentiri rei vel falsæ, vel incognitæ.<sup>25</sup> Restat illud, quod dicunt<sup>26</sup> veri inueniendi causa contra omnia dici oportere, & pro omnibus. Volo igitur videre quid inuenerint.<sup>27</sup> Non solemus, inquit, ostendere. Quæ sunt tandem ista<sup>28</sup> mysteria? aut cur celatis quasi turpe aliquid sententiam vestram? Ut qui audient, inquit, ratione potius quam authoritate ducantur. quid si utrumque? num peius est? unum tamen illud non celant, nihil esse quod

percipi possit. <sup>29</sup> an in eo autoritas nihil obest? mihi quidem videtur vel plurimū. Quis enim ista tam aperte perspicuēque & peruersa & falsa securus esset, nisi tanta in Arcesila, multo etiam maior in Carneade & copia rerum, & dicendi vis fuisset? <sup>30</sup> Hæc Antiochus ferè & Alexandria tum, & multis annis post, multò etiam asseuerantius in Syria, cum esset mecum, paulò antè quàm esset mortuus.

<sup>1</sup> Concedit postremum argumentum Academicum, subiicitq; alias quatuor causas, quibus etiam sapiens assensionem cohibet, ne quid audeat affirmare.

<sup>2</sup> Idem argumentum vltimum Lucullus in Academicos regerit, quale & vltis & perpernax est, cum nocet aduersariis, à quibus profertur.

<sup>3</sup> Quare nihil erat necesse dicere, sapiētem interdum sustinere assensum, & specialem aliquam notare circumstantiam suspendendi iudicij.

<sup>4</sup> Protopopœia est Academicorum leuitatem & repugnantiam quandam in oratione & disputatione sua constituentium, quæ dicendi figura multò gratior & valentior, quàm si res ipsa sub persona Luculli diceretur.

<sup>5</sup> Postremum argumentum aduersus conclusionem eiusdem Sorite sumitur ab his rebus, quæ Academicorum thesi repugnant.

<sup>6</sup> Illustratio argumenti ab exemplo, & syllogismus cōnexus secundus.

<sup>7</sup> Cōfutato Sorite, & singulis eius partibus, Lucullus deinceps occupat quædam exempla similitudinis ab Academicis vsurpata, ad illustrandas partes propositæ argumentationis, & præcipuè complexionē: nam cum magna sit multis in rebus similitudo, Academici hinc effici volūt, vt eadem sint, atque nihil inter eas interfit.

<sup>8</sup> Argumentum similitudinis reprehenditur tanquam falsum, quia ex eo conclusio non efficiatur: si enim propositio syllogismi addatur, falsa erit: omnia similia sunt eadem.

<sup>9</sup> Alia probatio Academicorum ad confirmandam complexionem sui Sorite ducitur à maiore ad minus: syllogismus cōnexus primus,

*Si inter mundos innumerabiles nihil interfit, & inter multas res, quæ sunt in nostro mundo, nihil intererit:*

*Sed inter mundos nihil interest, vt ait Democritus:*

*Ergo inter multas res huius mundi nihil interest.*

Assumptio præcedit approbata testimonio Democriti, qui censuit mundos esse innumerabiles, & nulla re inter se differentes: contra quem disputat Aristoteles capite octauo libri primi De celo.

<sup>10</sup> Assumptio syllogismi. <sup>11</sup> Propositio syllogismi à maiore ad minus.

<sup>12</sup> Ratio propositionis à primis rerum causis secundum opinionē Democriti, & ab exemplo speciali per comparisonem maiorum declaratur.

<sup>13</sup> Hoc exemplum citatur propter Catulum, qui huic disputationi intererat.

<sup>14</sup> Refellit assumptionem syllogismi, & Democriti testimonium alio physicorum testimonio, qui in singulis rebus aliquid proprium esse censent, quo ab aliis differant, & distinguantur. Nam singularum rerum propriæ quædam sunt formæ,

quas cum ignoramus, ex multis communibus accidentibus sic vnamquamque rem definimus, vt proprium aliquid tandem efficiatur.

<sup>15</sup> Respondet ad exemplum de geminorum similitudine, & duas causas adfert, quibus res similes internoscantur, consuetudinem, & artem.

<sup>16</sup> Confirmat vim consuetudinis ad res distinguendas, duplici similitudine exemplorum. Prima est à matre geminos internoscente.

<sup>17</sup> Secunda similitudo ab exemplo ouorum, de quibus prouerbium est, Nihil tam simile ouo, quàm ouum, quum de rebus maximè similibus loquimur.

<sup>18</sup> Delos, insula vna est Cycladum clarissima, dicta à *δηλος*, id est ostendo, quia cum mersa esset, subito apparuit.

<sup>19</sup> Accommodat exemplum de ouis, ad id de quo agitur: Argumentum est à causa distinctionis, quæ est proprietas aliqua in singulis rebus.

<sup>20</sup> Eludit puerilem distinctionem de visis, quasi imagines & species rerum confusæ sint, non autem impressiones & imaginationes: quod Lucullus refellit ab efficientibus causis: visa qualia sint, per suas species iudicantur: species igitur rerum confusæ esse non possunt.

<sup>21</sup> Aliud caput refutationis à repugnantibus.

<sup>22</sup> Confectarium est, in quo definitur *ἔπος* Academicorum, id est assensionis retentio, à verbo *ἐπέχω*, inhihero, hæreo, retineo, de qua Arcesilam probat magis consentanea locutum, quàm ipsum Carneadem.

<sup>23</sup> Declarat inconstantiam in oratione Carneadis, quæ est in his duobus repugnantibus: nulli rei assentiri, & aliquid opinari. Quod postremum idem ferè est quod alicui rei assentiri.

<sup>24</sup> Quia opinio est imbecilla assensio, cui Stoici omnes vitiosas perturbationes subiiciunt.

<sup>25</sup> Postremum caput refutationis est de more disputandi in contrarias partes, vbi Lucullus refellit finē propter quē hæc cōsuetudo inducta sit ab Academicis.

<sup>26</sup> Vt Cicero fecit in libro de Finibus, de Diuinatione, de Natura deorum.

<sup>27</sup> Dialogismus est veteris Academici cum nouo, quo eliciuntur causæ contrariæ disputationis, & refelluntur.

<sup>28</sup> Mystera sunt arcana, quæ olim non nisi occulta ratione sacrorum perficiebantur, vt sacra Cereris & Proserpinæ, quæ in vulgus efferre nefas erat.

<sup>29</sup> Refutatio postremi argumenti de autoritate, constat exemplis duorum Academicorum, qui magis autoritate sua, quàm vlla ratione Academicam disciplinam peruaferunt.

<sup>30</sup> Lucullus concludit defensionem partium Antiochianarū, & vt initio, sic tandem ostendit, à quo hanc totam disputationem assumpserit.

*1 Sed iam etiam confirmata causa, te hominem amissimum, (me autem appellabat) & aliquot annis minorem natu, non dubitabo monere, Tūne cum tantis laudibus philosophiam extuleris, Hortensiumque nostrum dissentientem commoueris, eam philosophiam sequere quæ cōfundit vera cum falsis, spoliat nos iudicio, priuat approbatione, omnibus orbat sensibus? 2 Et 3 Cimmer-*

riis quidem, quibus aspectum solis siue deus aliquis, siue natura ademerat, siue eius loci quem incolebant, situs, ignes tamen aderant, quorum illis vti lumine licebat. isti autem, quos tu probas, tantis offusis tenebris, ne scintillam quidem vllam nobis ad aspiciendum reliquerunt.

<sup>4</sup> quos si sequamur, iis vinculis simus astricti, vt nos commouere nequeamus. sublata enim assensione, omnem & motum animorum, & actionem rerum sustulerunt. quod non modò rectè fieri, sed omnino fieri non potest.

<sup>5</sup> Prouide etiam, ne vni tibi istam sententiam minimè liceat defendere. An tu, cum res occultissimas aperueris, in lucemq; protuleris, iuratusque dixeris ea <sup>6</sup> te cõperisse (quod mihi quoque licebat, qui ex te illa cognouerã) negabis esse rem vllã, quæ cognosci, comprehendere, percipi possit? Vide quæso etiam atque etiam, ne illarũ quoque rerum pulcherrimarum à te ipso minuatur authoritas.

<sup>7</sup> Quæ cum dixisset ille, finem fecit. Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuò Lucullo loquente fecerat, vt etiam manus saepe tolleret: (nec mirum: nam nunquã arbitror contra Academiã dictũ esse subtilius) me quoque, iocansne, an ita sentiens, (non enim satis intelligebam) cæpit hortari, vt sententia desisterem.

<sup>8</sup> Tum mihi Catulus, Si te, inquit, Luculli oratio flexit, quæ est habita memoriter, accuratè, copiose: taceo, neque te, quò minus, si tibi ita videatur, sententiam mutes, deterrendum puto. illud verò non censuerim, vt eius authoritate moueare. <sup>9</sup> tantum enim te non mouit, inquit arridens, vt caueres ne quis improbus Tribunus plebis

(quorum vides quanta copia semper futura sit) arriperet te, & in cõcione quareret, qui tibi cõstares, cum idem negares quicquam certi posse reperiri, idem te comperisse dixisses. hoc quæso ne te terreat: de causa autem ipsa malim quidem te ab hoc dissentire. sin cesseris, non magnopere mirabor. memini enim Antiochum ipsum, cum annos multos talia sensisset, simul ac visum sit. sententia destitisse. Hæc cum dixisset Catulus, me omnes intueri.

<sup>1</sup> Peroratio est Luculli, in qua Ciceronè dehortatur ab Academica philosophia: primum argumentum est ex factis Ciceronis, quæ speciem habet repugnatiæ.

<sup>2</sup> Amplificatio proximi argumenti à comparatione minorum.

<sup>3</sup> Cimmerij, sunt populi in Italia ad Baianum & Auernum sinum, qui incolunt conuallem ingenti iugo circumdatam, quæ neque matutino, neque vespertino sole contegitur. Sunt etiam Cimmerij in Asia ad Bosphorum Cimmerium, qui regionem incolunt tot nimbis & tenebris circumfusam, vt lucem solis intueri non possint: inde prouerbiũ exitit, Cimmericas tenebras fundere. id est, valde obscurare.

<sup>4</sup> Secundum argumentum ab adiuctis incommodis Academicæ disciplinæ, quæ tollit omnes motus animorum: sed Academici respondent, *ἐπιουὴν* non esse cessationem mentis & animi, sed magnam actionem sapientis rerum pondera diligenter examinantis, in quibus cum aliquid probabile inuenerit, id ipsum sequatur, & tamen assensionem cohibeat, id est, non profiteatur se aliquid scire.

<sup>5</sup> Tertium à factis Ciceronis, qui coniurationem Catilinæ à se patefactam & cõprehensam esse iuravit. Pridie enim Calèdas Ianuarij, cum à Metello Tribuno plebis potestate habenda concionis prohiberetur, magna voce iuravit verissimum, pulcherrimũque iusiurandum, quod populus magna voce eum verè iurasse iuravit. Lege librum quintum epistolarum.

<sup>6</sup> *ἀνακόλαστον* est pronominis demonstratiui, quod ab antecedente dissentit in genere.

<sup>7</sup> Hic Hortensius fingitur admirans, ad augendam laudem superioris disputationis, quia Hortensius Antiochianas partes tuebatur.

<sup>8</sup> Catulus inuitat Ciceronem ad dicendum, & iocando respondet ad postremum argumentũ Luculli, quòd nulla incõstantia sit, Academicũ philosophum dicere nil posse percipi, & magistratum in repub. gerentem iurare aliquid à se deprehensum esse. Academicorum enim thesis tantum pertinet ad eas res, quæ in philosophia tractantur, quas dicebant opinione duntaxat hominum contineri, non vlla certa & constanti scientia, vt antea saepe diximus.

<sup>9</sup> Catulus relinquit Ciceroni liberum arbitrium, & contrariam partem, quæ non probat, exemplo Antiochi disputat, qui ab Academia noua ad veterem defecit.

<sup>1</sup> Tum ego non minus cõmotus, quàm soleo in causis maioribus, huiusmodi quadam oratione sum exorsus:

<sup>2</sup> Me Catule oratio Luculli de ipsa re ita mouit, vt docti hominis, & copiosi, & parati, & nihil prateruentis eorum quæ pro illa caussa dici possent: non tamen vt ei respondere posse diffiderẽ. *authoritas autem tanta planè me mouebat, nisi tu opposuisses non minorem tuam.*

<sup>3</sup> Aggrediar igitur, si pauca antè quasi de fama mea dixerò. Ego enim si aut ostentatione aliqua adductus, aut studio certandi ad hanc potissimùm philosophiam me applicaui, non modò stultitiam meam, sed etiam mores & naturam condemnandam puto. <sup>4</sup> nam si minimis in rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiã coërcetur: ego de omni statu consilioque totius vitæ aut certare cū aliis pugnaciter, aut frustrari cū aliis, tum etiam me ipsum velim? <sup>5</sup> Itaque nisi ineptum putarẽ, in tali disputatione id facerem. quod cum de Rep. disceptatur, fieri interdum solet: iurare per Iouem, deosque penates, me & ardere studio veri reperiendi, & ea sentire, quæ dicerem. <sup>6</sup> Quis enim possum non cupere verũ inuenire, cū gaudeam si simile veri quid inuenerim? Sed vt hoc pulcherrimum esse iudicem, vera videre: sic, pro veris probare falsa, turpissimum est. <sup>7</sup> Nec tamen ego is sum, qui nihil vnquam falsi approbem, qui nunquam assentiar, qui nihil opiner: sed quærimus de sapiente. ego verò ipse & magnus quidem sum opinator (<sup>8</sup> non enim sum sapiens) & meas cogitationes sic dirigo, non ad illam paruulam Cynosuram,

<sup>9</sup> Qua fidum duce nocturna Phænices in alto,  
vt ait Aratus, eòq; directius gubernat, quòd eam tenent,

<sup>10</sup> Quæ cursu interiore breui conueritur orbe:  
sed ad Helicẽ & clarissimos Septentriones, id est rationes has, latiore specie, non ad tenuè elimatas. Eo fit, vt errẽ, & vager latius. Sed non de me, vt dixi, sed de sapiente quæritur. visa enim ista cū acriter mentẽ sensumue pepulerũt, accipio, hisque interdũ assẽtior, nec percipio tamẽ. nihil enim arbitror posse percipi. non sum sapiens: itaque visis cedo, neque possum resistere. <sup>11</sup> sapiẽtis autẽ hanc censet Arcesilas vim esse maximam, Zenoni assentiẽs, cauere ne capiatur, ne fallatur videre. <sup>12</sup> nihil est enim ab ea cogitatione quam habemus de grauitate sapientis, errore, leuitate, temeritate disunctius. <sup>13</sup> Quid igitur loquar de firmitate sapientis? quem quidem nihil opinari tu quoque Luculle concedis.

<sup>1</sup> Exordii decorum notatur, quod in Cicerone naturale fuit, vt in causis vercundius ordiretur, vt ipse testis est in Diuinatione: Ita mihi deos velim propitios, vt cū illius temporis mihi venit in mentẽ, quo die citato reo mihi dicendum sit, nõ solum commoueor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.

<sup>2</sup> Oratio Ciceronis pro noua Academia tres in partes diuiditur, exordium, refutationem eorum quæ dicta sunt à Lucullo contra nouos Academicos, & confirmationem thesificæ Academicæ, quæ nihil possit percipi: quæ per omnes philosophiæ partes dilatabitur. Exordium autem ducitur à laude Luculli, cuius tamen authoritati opponitur par authoritas Catuli, à quo Academia noua superiore dialogo diligenter & accuratè defensa fuerat.

<sup>3</sup> Prolepsis est ad purgandã suspitionem ambitionis aut pertinaciæ, quæ duo vitia à philosophis esse debet alienissima: admonet igitur se non contradicendi aut dissimulandi, sed cognoscendi studio ad tuendam Academiã nouam accedere. Syllogismus est connexus tertii modi, & propositio connexa primo loco ponitur.

<sup>4</sup> Ratio propositionis à minori ad maius.

<sup>5</sup> Assumptio in qua remouetur antecedens: sed non facio studio contradicendi aut dissimulandi, quod iurifurandi authoritate quadam confirmatur.

<sup>6</sup> Ratio assumptionis à minori ad maius.

<sup>7</sup> Detorquet à se disputationis inuidiam: Ego, inquit, non de me, sed de sapiente disputo: admonetque de genere disputationis similitudine Septentrionis minoris & maioris, idque verè admodum. non enim est ad veritatem limata Ciceronis oratio, quæ pro Academia noua suscipitur, sed specie quadã solum probabilis, quemadmodum nobis momenta singulorum argumentorum cõsiderantibus perspicuum esse poterit.

8 Dux sunt in caelo vixæ ad Septentrionem, vt ait Aratus, vna dicta Cynofura parua quidem & obscura: sed nautis aptior ad dirigendos nauium cursus. Altera maior dicta Helice, clara & splendida, & à prima nocte lucens. Versus Arati sunt:

ἑλίκη γὰρ μὲν ἀνδρες ἀχαιοὶ

Εἰν ἄλλῃ τεκμαίρονται ἵνα χρὴ νῆας ἀγινάν:

Τῆ δ' ἄρα φοίνικες πῖνονοι παροῶσι βάλαυαν:

Ἀλλ' ἢ μὲν καθαρή, καὶ ἐπιφάσα δ' ἐτοίμη,

Πολλὴ φαινόμενη ἑλίκη πρώτης ἀπὸ νυκτός:

Ἡ δ' ἐτέρη δλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτησιν ἀρείων.

Μειοτέρη γὰρ πᾶσα πῶς ἐστὶ φεῖη σφοδράλιγγε.

Τῆ καὶ σιδόνιοι ἰθαῦτα τε ναυτῶντι ἄνουνται.

Helice quidem viri Achiu

In mari signant, quò oporteat naues dirigere:

Altera verò Phœnices fisci persulcant mare:

At Helice quidem clara est, & obseruatu parata,

Multa lucens prima à nocte.

Altera verò obscura quidem, sed nautis aptior,

Minori enim tora circunuersatur orbe,

Hac quoque Sidonij rectissimè nauigant.

9 Iterat declinationem inuidiæ, probatque se non esse sapiẽtem à repugnantibus: syllogismus simplex secundi generis:

Sapiens cauet, ne decipiatur:

Cauere ego non possum, ne decipiar:

Non sum igitur sapiens.

Assumptio præcedit, declarata obie-

ctis & factis Ciceronis.

10 Propositio syllogismi confirmatur testimonio Arcesilæ & Zenonis.

11 Altera ratio propositionis, ab his quæ repugnant personæ sapientis, vbi sapiens Stoicè consideratur perfectus & absolutus, qui rerum omnium causas accuratè teneat, qualis apud Ethnicos nemo fuit, nec esse potuit, præsertim in tanta rerum & diuinarum & humanarum ignoratione.

12 Tertia ratio ab autoritate Luculli.

1 Quod quoniam à te probatur (vt præposterè tecum agam: iam enim mox referam me ad ordinem) hac primum conclusio quam habeat vim, considera: 2 Si vlli rei sapiens assentietur vnquam: aliquando etiam opinabitur. nunquam autem opinabitur: nulli igitur rei assentietur. Hanc conclusionem Arcesilas probat: confirmat enim primum & secundum, Carneades nonnunquam secundum illud dabat, assentiri aliquando. ita sequebatur etiam opinari: quod tu non vis, & rectè, vt mihi vi-

deris. 3 Sed illud primum, sapientem, si assensurus esset, etiam opinaturum, falsum esse & Stoici dicunt, & eorum adstipulator Antiochus: posse enim eum falsa à veris, & qua non possint percipi, ab iis quæ possint, distinguere. 4 nobis autem primum, etiam siquid percipi possit, tamen ipsa consuetudo assentiendi periculosa esse videtur, & lubrica. 5 quamobrem cum tam vitiosum esse constet, assentiri quicquam aut falsum, aut incognitum: sustinenda est potius omnis assensio, ne præcipitet, si temerè processerit. ita enim finitima sunt falsa veris, eaque quæ percipi possunt (si modò ea sunt quædã: iam enim videbimus) vt tamen in præcipitè locum non debeat se sapiens committere: 6 sin autem, omnino nihil esse quod percipi possit, à me sumpsero, & quod tu mihi das, accepero, sapientem nihil opinari: 7 effectum illud erit, sapientem assensus omnes cohibiturum. vt tibi videndum sit, idne malis, an aliquid opinaturum esse sapientem. 8 Neutrum, inquires, illorum. Nitamur igitur, nihil posse percipi: etenim de eo omnis est controuersia. 9 Sed prius pauca cum Antiocho: qui hac ipsa quæ à me defenduntur, & didicit apud Philonem tam diu, vt constaret diutius didicisse neminem, & scripsit de his rebus acutissimè, & idem hac non acrius accusauit in senectute, quàm antea defensitauerat. quanuis igitur fuerit acutus, vt fuit: tamen inconstantia leuatur auctoritas. 10 Quis, inquam, enim iste dies illuxerit, quæro, qui illi ostenderit eam, quam multos annos esse negauisset, veri & falsi notam. Excogitauit aliquid. eadè

dicit quæ Stoici. pœnituit eum illa sensisse. cur non se transtulit ad alios, & maximè ad Stoicos? eorum enim erat propria ista dissensio. quid eum Mnesarchi pœnitebat, quid Dardani, qui erant Athenis tum principes Stoicorum? <sup>11</sup> Nunquam à Philone discessit, nisi posteaquam ipse cepit qui se audirent habere. Vnde autem subito vetus Academia reuocata est? nominis dignitatem videtur, cum à re ipsa descisceret, retinere voluisse, quod erant qui illum gloriæ causa facerent sperare etiam fore, ut ij qui se sequerentur, Antiochæi vocarentur. Mihi autem magis videtur non potuisse sustinere concursum omnium philosophorum. <sup>12</sup> etenim de cæteris sunt inter illos nonnulla communia: hæc Academicorū est vna sententia, quam reliquorum philosophorum nemo probat: <sup>13</sup> itaque cessit. ut enim ij qui sub nube solem non ferunt: item ille cum æstuarer, veterum, ut mænianorū, sic Academicorum vmbra secutus est: <sup>14</sup> quoque solebat vti argumento tum, cum ei placebat nihil posse percipi, cum quæreret Dionysius ille Heracleotes, vtrum cōprehendisset certa illa nota qua assentiri dicitis oportere, <sup>15</sup> Illudne, quod multos annos tenuisset, Zenonique magistro credidisset, honestum quod esset, id bonum solum esse? an, quod postea defensitauisset, honesti inane nomen esse, voluptatem esse summum bonum? qui ex illius commutata sententia docere vellet, nihil ita signari in animis nostris à vero posse, quod non eodem modo possit à falso: is curauit quod argumentum ex Dionysio ipse sumpsisset, ex eo cæteri sumerent.

<sup>1</sup> Hæc transitio indicat digressionem quandam fieri, cuius caput est, sapientem nulli rei assentiri. Argumentum ab adiunctis: syllogismus connexus secundi modi plenus & integer.

<sup>2</sup> Propositio connexa nititur autoritate Academicorum, qui existimant sapientem sola opinione duci, non vlla scientia.

<sup>3</sup> Stoici negant propositionem syllogismi, & inconsequentem probant à factis sapientis, qui nihil opinetur, sed in omnibus reb<sup>9</sup> certā scientiā sequatur. dissensio igitur Stoicorum ab Academicis in definitione sapientis posita est, de qua inter eos nullo modo conuenit.

<sup>4</sup> Cicero defendit contra Stoicos constantiā connexæ propositionis, Si sapiens assentietur, etiam opinabitur. Ratio est à minori ad maius. Syllogismus connexus tertii modi:

*Si quid posset percipi, tamen assensus esset periculosus:*

*Sed nihil potest percipi:*

*Quanto igitur periculosior est assensus?*

Propositio prima est.

<sup>5</sup> Ratio propositionis ab adiunctis rerum, falso & incognito: & allegoria ab aurigis equos retinentibus in loco decliui & præcipiti.

<sup>6</sup> Assumptio ex remotione antecedentis. <sup>7</sup> Conclusio syllogismi.

<sup>8</sup> Hæc summa thesis est totius Academicæ contentio, quod omnium rerum, quæ in philosophia tractantur, ἀκατάληκτα sit, id est inscientia.

<sup>9</sup> Altera digressio est in Antiochū hostē nouæ Academicæ, cuius autoritas eleuatur, quod incōstans in philosophia fuerit. Argumentū incōstantiæ ducitur à dissimilib<sup>9</sup> factis Antiochi, quæ sunt Academicæ nouæ diu laudasse, & postea vituperasse.

<sup>10</sup> Dialogismus inducitur ad exprimendam leuitatem Antiochi, qui nulla iusta & honesta causâ defecit ab Academia noua: sed captus amore laudis & gloriæ. hinc igitur causæ Antiochiæ defectionis vituperantur.

<sup>11</sup> Declarat turpem & inhonestū finem defectionis, affectionem vanæ gloriæ: inseritque collationem similitum: ut, quemadmodum quidam philosophi à suis præceptoribus non men habuerunt: ut Socratici à Socrate, Epicurei ab Epicuro, sic ab Antiocho Antiochæi discipuli nominarentur.

<sup>12</sup> Confirmat effectum propositi finis à dissimilibus.

<sup>13</sup> Conclusio defectionis illustrata similibus, vbi iocus est, & allusio ad veterem Platonis Academiam in suburbano, & vmbroso nemore sitam, ut ait Suidas.

<sup>14</sup> Postremum argumentum contra Antiochum est à partibus. Antiochus ex incōstantia Dionysii, qui ex Stoico factus erat Epicureus, olim disputabat nihil posse percipi: eadem igitur ratio & conclusio valeat contra Antiochum, qui commutata sententia ex Academico nouo repente factus est vetus.

<sup>15</sup> Dionysius Heracleotes cum à Zenone fortis esse didicisset, à dolore deductus est: nam cum ex renibus laboraret, ipse in eiulatu clamitabat falsa esse illa quæ antea de dolore sensisset: cumque Cleantes con discipulus eius rogaret quam ratio eum de sententia deduxisset, respondit: Quia cum tantum operæ philosophiæ dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumenti malum esse dolorem: plurimos autem annos in philosophia consumpsi, nec ferre possum: malum igitur dolor. Cic. Tufcul. 2.

<sup>1</sup> Sed cum hoc alio loco plura, nunc ad ea quæ à te Luculle dicta sunt. Et primū quod initio dixisti, videamus quale sit: similiter à nobis de antiquis philosophis

commemorari, atque seditiosi solerent claros viros, sed tamē populares aliquos, nominare. illi cū res non bonas tractent, similes bonorum videri volunt. nos autem ea dicimus nobis videri, quæ vosmetipsi nobilissimis philosophis placuisse conceditis. <sup>2</sup> Anaxagoras niuem nigrā dixit esse. ferres me, si ego idem dicerem? tu ne si dubitarem quidem. <sup>3</sup> at quis est hic? num sophistes? sic enim appellantur ij, qui ostentationis aut quæstus causa philosophantur. maxima fuit & grauitatis & ingenij gloria. <sup>4</sup> Quid loquar de Democrito? quem cum eo conferre possumus non modò ingenij magnitudine, sed etiā animi, qui ita sit ausus ordiri, <sup>5</sup> Hæc loquor de vniuersis. nihil excipit, de quo non profiteatur. quid enim esse potest extra vniuersa? <sup>6</sup> quis hunc philosophū non antepōnit Cleanthi, Chrysippo, reliquisque inferioris ætatis? qui mihi cum illo collocati, <sup>7</sup> quinta classis videntur. <sup>8</sup> Atque his non hoc dicit quod nos, qui veri esse aliquid non negamus, percipi posse negamus: ille verum esse planè negat, esse sensus quidem nec obscuros dicit, nec tenebricosos (sic enim appellat eos is, qui hunc maximè est admiratus Chius Metrodorus initio libri qui est de natura) Nego, inquit, scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus: ne id ipsum quidem nescire, aut scire, scire nos: nec, omnino sitne aliquid, an nihil sit. Furere tibi <sup>9</sup> Empedocles videtur: at mihi dignissimum rebus iis, de quibus loquitur, sonum fundere. num ergo is excæcat nos, aut orbat sensibus, si parū magnā vim censeret in iis esse ad ea quæ sub eos subiecta sunt, iudicanda?

<sup>10</sup> Parmenides, Xenophanes, minus bonis quamquam versibus, sed tamen illis versibus increpant eorum arrogantiam quasi irati, qui, cū sciri nihil possit, audeat se scire dicere. <sup>11</sup> & ab his aiebas remouendum Socratem & Platonem. cur? an de vllis certius possum dicere? vixisse cum his equidem videor: <sup>12</sup> ita multi sermones perscripti sunt, è quibus dubitari non possit, quin Socrati nihil sit visum sciri posse. excepit vnum tantum, scire se, nihil se scire: nihil amplius. Quid dicam de Platone? qui certè tam multis libris hæc persecutus non esset, nisi probauisset. ironiam enim alterius, perpetuā præsertim, nulla fuit ratio persequi. Videor ne tibi, non vt Saturninus, nominare modò illustres homines, sed etiam imitari nunquam nisi clarum, nisi nobilem? atque habebā molestos vobis, sed minutos, Stilbonem, Diodorum, Alexinum: quorum sunt contorta & aculeata quedam sophismata: sic enim appellantur fallaces conclusiunculae. Sed quid eos colligam, cū habeam <sup>13</sup> Chrysippum, qui fulcire putatur porticum Stoicorum? Quàm multa ille contra sensus, quàm multa contra omnia quæ in consuetudine probantur, dissoluit? idem mihi quidem non videtur. Sed dissoluerit sanè. certè tam multa non collegisset, quæ nos fallerent probabilitate magna, nisi videret his resisti non facile posse. <sup>14</sup> Quid Cyrenæi videntur, minimè contempti philosophi? qui negant esse quicquam, quod percipi possit extrinsecus: ea se sola percipere, quæ tactu intimo sentiant, vt dolorem & voluptatem: neque se, quo quid colore, aut quo sono sit,

scire, sed tantum sentire affici se quodammodo. <sup>15</sup> Satis multa de authoribus. quanquam ex me quaesieras, nonne putarem post illos veteres, tot seculis, inueniri verum potuisse, tot ingeniis, tantisque studiis quaerentibus. Quid inuentum sit, paulo post videro, te ipso quoque iudice. <sup>16</sup> Arcesilam verò non obrectandi causa cum Zenone pugnauisse, sed verum inuenire voluisse, sic intelligitur. Nemo inquam superiorum non modò expresserat, sed ne dixerat quidem posse hominē nihil opinari: nec solum posse, sed ita necesse esse sapienti. *Visa est Arcesila cum vera sententia, tum honesta & digna sapiente.* <sup>17</sup> Quasiuit de Zenone fortasse, quid futurum esset, si nec percipere quicquam posset sapiens, nec opinari sapientis esset. ille, credo, Nihil opinatur: quoniam esset quod percipi posset. Quid ergo esset id? *Visum, credo. Quale igitur visum? Tum illum ita definiuisse: ex eo quod esset, sicut esset impressum, & signatum, & effectum.* Post requisitum, etiamne si eiusmodi esset visum verum, quale falsum. <sup>18</sup> hic Zenonem vidisse acutè, nullum esse visum, quod percipi posset: si id tale esset ab eo quod est, ut eiusmodi ab eo quod non est, posset esse. Rectè consensit Arcesilas ad definitionem additum: neque enim falsum percipi posse, neque verum, si esset tale, quale vel falsum. <sup>19</sup> Incubuit autem in eas disputationes, ut doceret, nullū tale esse visum à vero, ut non eiusdem modi etiam à falso possit esse. Hac autē est vna contentio, qua adhuc permanserit. Nam illud, nulli rei assensurum esse sapientem, nihil ad hanc controuersiam pertinebat: licebat

enim nihil percipere, & tamen opinari: quod à Carneade dicitur probatum. Equidem Clitomacho plus quàm Philoni aut Metrodoro credens, hoc magis ab eo disputatum, quàm probatum puto. sed id omittamus. Illud certè opinatione & perceptione sublata sequitur, omnium assensionum retentio: ut, si ostendero nihil posse percipi, tu concedas nunquam assensurum esse.

<sup>1</sup> Transitus est à proxima digressionem ad refutationem orationis habitæ à Iulio Cicerone, ubi Cicero sigillatim respondit ad argumenta superioris orationis. Primū igitur occupat collationem illam Arcesilæ cum seditiosis ciuibus, & Academicam no uam defendit autoritate veterum & illustrium philosophorum.

<sup>2</sup> Sequitur inductio de authoribus Academicæ nouæ antiquis & excellentibus philosophis, quorū primus Anaxagoras laudatur, & in Academicam ignoracionem incidisse probatur: placuit ei niuem esse nigram, & quòd ex aqua nigricante fieret, & quòd oculi cōtinēter in ea defixi mutarentur, & se colorē nigrū cernere crederēt.

<sup>3</sup> Hic locus corruptus & abruptus esse videtur, ubi definitur sophista à fine, sicut apud Platonem, mercator, qui disciplinas animi vendit: homo quæstuosus, qui litigando, pugnando, aduersando, quæstum facit: iuuenum & diuitū mercenarius venator, præstigiator, & veri fallax imitator: sic Aristoteles etiam ait, ὁ σοφιστὴς ἄλλο μὰ πρῶτον ἀπὸ φαινομένων σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὐσίας. id est, qui quæstum facit ab ea, quam præ se fert, sapientia: quæ tamen in eo reuera non sit. Ex quo genere fuit in Græcia Protagoras, qui (ut ait Plato in Menone) vniuersam Græciā annos plus quàm quadraginta fefellit, & discipulos suos multò deteriores reddidit, quàm acceperat.

<sup>4</sup> Secunda autoritas est Democriti, qui dupliciter laudatur, & ex nobili sui operis præfatione, & ex collatione inferiorum philosophorum.

<sup>5</sup> Hic syllogismus est simplex primi generis.

<sup>6</sup> Democritus floruit apud Milesios olympiade octogesima, ut ait Laertius, Cleanthes fuit discipulus Zenonis, & Chrysippus Cleanthis, qui floruit olympiade centesima quadragesima tertia.

<sup>7</sup> Seruius Tullus populum Romanum in quinque classes ex censu distribuit, ut prima classis esset ditissimorum ciuium, sicut quinta & postrema infimorū & tenuissimorum. hinc Homines quintæ classis, prouerbii quadam specie dicuntur: id est, infimæ conditionis & autoritatis.

<sup>8</sup> Collatio est à minori ad maius, ad illustrandum testimonium Democriti.

<sup>9</sup> Tertius autoritatis locus de Empedocle.

<sup>10</sup> Quartus locus ab autoritate Parmenidis & Zenophanis, quorū ille censuit non esse fidendum sensibus, ut ait Diogenes: hic primus omnia esse incomprehensibilia dixit, ut ait Sothion: sed tamen fallitur, ut ait Diogenes.

<sup>11</sup> Respondet ad proxima exempla de Socrate & Platone, quos etiam probat esse auctores huius Academicæ instituti ex eorum scriptis & institutis.

<sup>12</sup> Conclusio de antiquis authoribus, quos Academici sequuntur: & transitus ad inferioris ætatis philosophos, quibus authoribus utitur Cicero ad defensionem Academicæ professionis. Stilpo Megarētis fuit discipulus Euclidis acutus & eloquēs.

Diodorus cognomento Cromis, dialecticum acumen habuit, primūque dicitur inuenisse inuolutum & cornutum dicendi genus, ut ait Laertius. Alexinus ex Eubulidis Megarensis ludo manauit, vir acer, & contentionis viribus, ac neruis clarus: vnde & Alexinus dictus est: maximè autem Zenoni infestus erat, ut ait Laertius. Horum fallaces erant conclusiuncule, aut vitio argumenti alieni, vel obfcuri, vel ambigui, vel falsi: aut inconstantia dispositionis, quæ facta non esset ad veram & constantem normam dialecticæ artis.

13 Chrysippus Solensis Cleāthis discipulus tantum de se sentiebat, ut neminem in philosophia sibi parem esse arbitraretur, vnde passim carmen de Chrysippo iactatum est:

Οἷος ἑπέννη, λοιποὶ δὲ σοὶ αἰήσομαι.

Εἰ μὴ γὰρ ἦν χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦ στοῶ.

Hoc est,

Hic solus sapit: ast alij, velut umbra, feruntur.

Et nisi Chrysippus fuisset, porticus non esset.

14 Postrema defensio ab autoritate Cyrenaicorum, qui ab Aristippo Cyreneo profecti iudicium veritatis in intimis sensibus posterunt, cum finem bonorum esse dicerent voluptatem corporis: id est, iucundum quendam & leuem motum ad intimos sensus permanentem, & quasi in medullis corporis prurientem.

15 Concludit locum de authoribus, & hinc transit ad refutandam orationem Luculli, cuius caput vnum fuit, multas res progressionem temporum repertas esse: de quo aliam Cicero respondebit, vbi disseret de partibus sapientiae.

16 Purgat Arcefilam à calumniis, & originem contentionis inter Stoicos & Academicos dialogismo Arcefilæ ostendit, vbi Arcefilas ex definitione sapientis, & phantasia à Zenone tradita materiā contradictionis arripuit, ut diceret nihil posse percipi.

17 Hic visum definitur à Zenone ex causis & obiectis.

18 Zeno perficit proximam definitionem his verbis, Quale esse non possit ex eo, vnde non est: ut intelligatur definitur visum verum, & à sapiente perceptum.

19 Arcefilas refellit postremam partem in definitione positam: summa igitur quaestio est, Nullum visum verum percipi à sapiente, ut non eiusmodi falsum esse possit: quia nullius rei certam & propriam notam sapiens habeat, per quam duntaxat perceptio effici possit: quæ Academicorum sententia vera esset, si de perfecta, & omnibus numeris absoluta scientia rerum loquerentur ex primis, veris, & rem ipsam constituētibus, & declarantibus causis: hæc enim perfecta sapientia cadit in solū Deū, quæadmodum præclare disserit Socrates apud Platonē: atque omnium philosophorum decreta, quæ polliceri scientiam videntur, opiniones duntaxat hominum sunt, non decreta sapientiae. Itaque rectè dicitur ab Academicis nihil vel sensu, vel animo percipi, si perceptio eo modo, quo diximus, definiatur: tametsi leuia quædam argumēta ab illis contra sensus, aliamque Stoicorum rationes ab his collecta sunt.

<sup>1</sup> Quid ergo est quod percipi possit, si ne sensus quidem vera nuntiat? quos tu Luculle <sup>2</sup> communi loco defendis. quod ne id facere posses, idcirco heri, non necessario loco, contra sensus multa dixeram. <sup>3</sup> tu autem te negas infracto remo, neque columbae collo commoueri. primum,

cur? nam & in remo sentio non esse id quod videatur: & in columba plures videri colores, nec esse plus vno. deinde, nihilne præterea diximus? maneat illa omnia. <sup>4</sup> latrat in ista causa Epicurus: veraces suos esse sensus dicit. Igitur semper authorem habes, & eum qui magno suo periculo causam agat. eò enim rem dimittit Epicurus, si vnus sensus semel in vita mentitus sit, nulli vnquam esse credendum. Hoc est verum esse, considerare suis testibus, & importunè insistere. <sup>5</sup> Itaque Timagoras Epicureus negat sibi vnquam, cum oculus torfisset, duas ex lucerna flammulas esse visas: opinionis enim esse mendacium, non oculorum. quasi quaeratur quid sit, non quid videatur. <sup>6</sup> Sed hic quidem maiorum similis. tu verò, qui visa sensibus alia vera dicas esse, alia falsa: quæ ea distinguis? <sup>7</sup> Desine quaeso communibus locis. domi nobis ista nascuntur. Si quis deus te interroget sanis modò & integris sensibus, Num amplius quid desideras? quid respondeas? Vtinam quidem roget. audiat quàm nobiscum malè agatur. <sup>8</sup> Vt enim vera videamus, quàm longè videbimus? ego Catuli Cumanam ex hoc loco regionem video, Pompeianum non cerno: neque quicquam interiectum est quod obstat: sed intendi longius acies non potest. O præclarum prospectum! Puteolos videmus: at familiarem nostrum Ananum, fortasse in porticu Neptuni ambulante, non videmus. At ille nescio qui, qui in scholis nominari solet, mille & octingenta stadia, quòd abesset, videbat. quædam volucres longius. Responderem igitur audacter isti vestro deo, me planè his oculis non esse contentum.

<sup>9</sup> dicit me acrius videre, quàm ullos pisces, fortasse qui neque videntur à nobis, & nunc quidem sub oculis sunt, neque ipsi nos suspicere possunt. Ergo ut illis aqua, sic nobis aer crassus offunditur. At amplius non desideramus.

<sup>10</sup> Quid talpæ? Nūc desiderare lumē putas? Neque tam quererer cum deo, quòd parū longè, quàm quòd falsum viderem. <sup>11</sup> Vidēsne nauē illam? stare nobis videtur: at is qui in naui sunt, moueri hæc villa. Quære rationem cur ita videatur: quam ut maximè inueneris, quod haud scio an non possis: non tu verū testē habere, sed eū non sine causa falsum testimoniū dicere ostenderis. Quid ego de naui? vidi enim à te remum contemni. maiora fortasse queris.

<sup>12</sup> Quid potest esse sole maius, quem Mathematici amplius duodeuiginti partibus confirmant maiorem esse quàm terram? quantulus nobis videtur? mihi quidem quasi pedalis. <sup>13</sup> Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quàm videatur, sed non multo. ne maiore quidem multo putat esse: vel tantum esse, quantum videatur: ut oculi aut nihil, aut non multum mentiantur.

<sup>14</sup> Vbi igitur illud est semel? sed ab hoc credulo, qui nunquam sensus mentiri putat, discedamus, qui ne nūc quidem, cum ille sol, qui tanta incitatione fertur, ut celeritas eius quanta sit, ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videatur.

<sup>1</sup> Incipit disputare cōtra Lucullum de principe & generali quæstione, Quòd nihil percipi possit. Primum argumentum est à sensibus, leue & captiosum. Licet enim nullus sensus sit particeps scientiæ, quia (ut Socrates rectè docet in Theæteto) essentiam rei non percipit: licet etiam interdum decipiatur sensus, non sequitur tamen, quin interdum verum aliquid sentiat, quale vel falsum esse non possit.

<sup>2</sup> Comuni loco defendere, est probabiliter & copiose ad imitationē Oratorum aliquid disputare: est enim locus communis, oratoribus campus, in quo libe-

rè expatiantur, cum aliquid amplificanc laudis, aut vituperationis gratia.

<sup>3</sup> Occupat duò exempla, quibus sensus falluntur, quasi à Lucullo nō satis refutata & dissoluta sint.

<sup>4</sup> Epicurus disērit ab Academicis, quia omne iudiciū veritatis ponit in sensibus: sed tamē sententiā suā pueriliter & ineptè defendit, & eius subscriptor Timagoras.

<sup>5</sup> Si oculi palpebram aliquantulum depresseris, quanuis vnica sit flamma ludentis candelæ: ea tamen geminari tibi videbitur, quia ab oculo tuo radij exeūtes non ad idem feruntur punctum: atque idcirco, quod oculus bis inspexit, id quasi geminum se putat inspexisse.

<sup>6</sup> Eleuat disputationem Luculli tanquam communem, nec satis accuratam: cum tamen ipse Cicero non accuratius disputet, quàm Lucullus, & cōmunibus etiam locis hic, ut antè Lucullus fecit, expatietur.

<sup>7</sup> Occupat communem locum Luculli de laude sensuum, & ei contradicit ab exemplis, quibus confirmatur imbecillitas oculorum: quia longius rem prospicere non possunt.

<sup>8</sup> Occupat exemplum hominis acutè videntis, quod eleuat collatione auium quæ longius vident. Fuit autem quidā nomine Linceus tam certa acie luminum, ut ex Lilybæo naues è portu Carthaginensium egredientes videret, ut ait Valerius libro primo. Carthago autem à Lilybæo distat mille stadiis, ac ferè quingentis, ut ait Strabo. Plinius refert, halicæum clarissima oculorum acie ex alto videre in mari piscem, in quem præceps ruit, eūque discussis pectore aquis, rapit.

<sup>9</sup> Secunda prolepsis de piscibus contemnitur: quia nos perfectiorem visum quarimus.

<sup>10</sup> Tertia prolepsis de exemplo talpæ refellitur à minori ad maius. Talpæ quanuis natura sint expertes visus, tamen lumen desiderāt. quid mirum, si homines acumen oculorum melius optent?

<sup>11</sup> Trāsitus est ab imbecillitate oculorum ad fraudes & fallacias ex his ortas, quæ declarantur exemplo naui: nam qui procul agitatam nauem aspiciunt, eam stare putāt, quia propter longitudinem spatij & interualli, naui ipsa angulos visus afficere, atque mouere parū admodū potest. & qui sunt in naui, proxima quæque moueri arbitrantur, ut arbores, ædes, quia radij oculorū ad motum naui subinde mutantur situm: atque idcirco res quæ sub aspectum cadunt, mutari videntur, & tãquam oculos sequi: sed hæc Ciceronis argumenta nihil admodum arguunt & probant.

Non enim sequitur, si sensus aliquando fallaces sint, ut semper sint fallaces, & mēs hominis fraudē perspicere non possit: etenim à doctissimis hominib⁹ inuenta & explicata est ratio, & cur remus inflexus in aqua videtur, & collum columbæ coloribus variegatum, cum tamen sit vnus modi: cæteraque eiusmodi ab optimis philosophis diligenter enucleantur, nec eorum quisquam in his falli potest.

<sup>12</sup> Correctio proximi exempli, & transitus ad aliud de magnitudine solis, vbi visus plurimum fallitur.

<sup>13</sup> Epicuro sol videtur esse tantus, quantulus apparet, & maiusculus & minusculus, ut Plutarchus ait: Ciceroni duodeuiginti partibus maior terra, id est, trecentum & sex millibus leucarum: Mathematicis centies sexagesies sexies, id est, centum millionibus leucarum & amplius.

<sup>14</sup> Contemnit Epicurum stultè differentem de solis magnitudine, & sibi ipsi repugnantem: dicit enim quodam capite, si semel sensus mentiantur, eis non esse credendum: & altero oculo posse mentiri, cum iudicant de solis magnitudine.

Sed vt minuam controuersiam: videte quaeso quàm in paruulis sitis. Quatuor sunt capita, quæ concludunt nihil esse quod nosci, percipi, comprehēdi possit: de quo hæc tota quæstio est. è quibus primum est, esse aliquod visum falsum: secundū, non posse id percipi: tertiu, inter qua visa nihil intersit, fieri non posse vt eorum alia percipi possint, alia non possint: quartū, nullum esse visum verum à sensu perfectum, cui non appositum sit visum aliud quod ab eo nihil intersit, quodque percipi non possit. Horum quatuor capitum secundum & tertium omnes concedunt, primum Epicurus non dat. vos, quibuscum res est, id quoque conceditis. omnis pugna de quarto est. <sup>2</sup> Qui igitur P. Seruiliū Geminū videbat, si Quintum se videre putabat, incidebat in eiusmodi visum, quod percipi non posset: quia nulla nota verum à falso distinguebatur. qua distinctione sublata, quam haberet <sup>3</sup> M. Cotta, qui bis cum Geminō Consul fuit, agnoscendo eiusmodi notā, quæ falsa esse non possit? Negas tantam similitudinem in rerum natura esse. pugnas omnino, sed cum aduersario facili. <sup>4</sup> Ne sit sanè: videri certè potest. faller igitur sensum: & si vna fefellerit similitudo, dubia omnia reddiderit. sublato enim iudicio illo, quo oportet agnosci: etiam si ipse erit quem videris, qui tibi videbitur, tamen non ea nota iudicabis, qua dicis oportere, vt non possit esse eiusdem modi falsa. Quādo igitur potest tibi P. Geminus, Quintus videri: quid habes explorati, <sup>5</sup> cur non possit tibi Cotta videri, qui non sit, quoniā aliquid videtur esse quod non est?

Omnia dicis sui generis esse: nihil esse idē, quod sit aliud. Stoicum est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum. <sup>6</sup> Hæc refelli possunt: sed pugnare nolo. ad id enim quod agitur, nihil interest, omnibusne partibus visa res nihil differat, an internosci non possit, etiā si differat. Sed si hominū similitudo tāta esse non potest, ne signorum quidem? Dic mihi, <sup>7</sup> Lysippus eodem are, eadem temperatione, eodem calo, aqua, cæteris omnibus, centum Alexandros eiusdem modi facere non possit? qua igitur notione discerneres? <sup>8</sup> Quid, si in eiusmodi cera ceterum sigilla hoc annulo impressero, ecqua poterit in agnoscendo esse distinctio? an tibi erit querendus annularius aliquis, quoniam gallinarium inuenisti Deliacum illum qui oua cognosceret? <sup>9</sup> Sed adhibes artē aduocatam etiam sensibus. pictor videt quæ nos non videmus: & simul inflauit tibicen, à perito carmen agnoscitur. Quid hoc? nonne videtur contra te valere, si sine magnis artificijs, ad quæ pauci accedunt, nostri quidem generis admodū nec videre, nec audire possumus? <sup>10</sup> Iam illa præclara, quanto artificio esset sensus nostros, mentemque, & totam constructionem hominis fabricata natura. cur non extimescam opinandi temeritatē? etiāne hoc affirmare potes Luculle, esse aliquam vim, cum prudentia & consilio scilicet, quæ finxerit, vel, vt tuo verbo vtar, quæ fabricata sit hominem? qualis ista fabrica est? vbi adhibita? quando? cur? quomodo? Tractantur ista ingeniose, disputatur etiam eleganter. denique videatur

sanè, ne affirmantur modo. Sed de Physicis mox, & quidem ob eam causam, ne tu, qui idem me facturum paulò antè dixeris, videre mentitus.

1 Repetit quatuor hypothesas Academicorum à Lucullo prius commemoratas, ex quibus effici volunt, nihil posse percipi: quarum tres veluti per se satis illustres, & ab omnibus concessæ sumuntur: quarta, quæ in quæstionem venit, à Cicero confirmatur.

2 Vtitur exemplis Seruiliorum geminorum, qui inter se valde similes erant, vt vix internosci possent, sed iis exemplis nunquam efficiet, nihil posse percipi. nã, vt antè docuit Lucullus, adhibita consuetudine geminos facillè distingues. nec verò sequitur, vt si in quibusdam visis differentia non appareat, in nullis visis appareat.

3 C. Aurelius Cotta, & P. Seruilius geminus primùm cõsules fuerunt anno urbis cõdita quingentesimo primo, rursus autem anno urbis quingentesimo quinto.

4 Concedit defensionem Luculli de singulis & propriis rerum notis, quibus res internoscuntur, & tamen nihilominus contendit visa confusa esse: Syllogismus est connexus primi modi, cuius propositio est fallax:

*Si vna similitudo sefellerit, dubia omnia reddiderit:* possunt enim res similitudine inter se coniungi, & multis dissimilibus distingui ac separari.

5 Refellit dogma Stoicum de singulis rerum proprietatibus, quibus inter se differant. Argumentum ab exemplis specialibus: pilus à pilo non internoscitur, neque granum à grano: non sunt igitur in singulis rebus propriæ quædam notæ. Sic Perseus cum Aristone Stoico dogmati assentiète differuit, protulitque geminos fratres inter se litigantes, quorum alter illi depositum daret, alter deinde reciperet, atque ita hæcetem in geminis, & ambigentem vter esset, coarguit. Lege Laertiũ lib. 7.

6 Transfit ab exemplis geminorum ad exemplum signorum similibus.

7 Lyfippus Sicyonius nobilis sculptor fuit, à quo tantum Alexander se fingi passus est. Is sexcenta decem opera fecisse dicitur tam excellentia, vt arti claritatem possent dare vel singula. Plinius cap. 7. lib. 34.

8 Aliud exemplum de signis similibus in cera impressis, & iocus in Deliacũ gallinarium à Lucullo citatur, cuius videtur meminisse Plinius his verbis: Traditur quædam ars gallinarij cuiusdam dicentis, quod ouum ex quaque esset.

9 Reperit in Lucullum exempla de pictore & tibicine, cuius argumentum à maiori ad minus licet verum sit, nihil tamen efficit.

10 Eleuat communem locum de diuina & excellenti fabrica sensus & animi, quam ethnicè & impiè contemnit magis, quàm refellit ex leuissimis adiunctis.

1 Sed vt ad ea quæ clariora sunt, veniam, res iam vniuersas profundam: de quibus volumina impleta sunt non à nostris solũ, sed etiam à Chrysippo: de quo queri solèt Stoici, dum studiose omnia conquieserit contra sensus & perspicuitatem, contraque omnem consuetudinẽ, contraque rationem, ipsum sibi respondentem inferiorem

fuisse: itaque ab eo amatum esse Carneadem. Ea sunt eiusmodi, quæ à te diligentissimè tractata sunt: Dormientium & vinolentorũ & furiosorum visa imbecilliora esse dicebas, quàm vigilantium, siccorum, sanorum:

2 quomodo? quia cum experrectus esset Ennius, non diceret se vidisse Homerum, sed visum esse: Alcmeo autem, Sed mihi neutiquam cor consentit, similia de vinolentis. quasi quisquam neget, & qui experrectus sit cum somniare: & cuius furor cõsederit, putare non fuisse ea vera, quæ essent sibi visa in furore. sed non id agitur tum, cum videantur: quo modo videntur, id queritur. nisi verò Ennium non putamus ita totum illum audiuisse,

3 O pietas animi, si modò id somniauit, vt si vigilans audiret: experrectus enim potuit illa visa putare, vt erant, & somnia. dormienti verò aquè ac vigilantanti probantur. Quid Iliona somno illo,

4 Mater te appello. Nonne illa credit filium locutum, vt verè experrecta etiam crederet? vnde enim illa,

Age adsta: mane: audi: itera dum eadem & ista mihi? num videtur minorẽ habere visis, quàm vigilantes fidẽ?

5 Quid loquar de insanus? qualis tandẽ fuit affinis tuus Catule Tuditanus? quisquã sanissimus tam certa putat quæ videt, quæ is putabat quæ videbatur? Quid ille, qui,

6 Video, video te viuum Vlysses, dum licet: nonne etiam bis exclamauit se videre, cum omnino non

videret? <sup>6</sup> Quid apud Euripidem Hercules, cum ut Eurysthei filios, ita suos configebat sagittis, cum uxorem interimebat, cum conabatur etiam patrem, non perinde mouebatur falsis, ut veris moueretur? quid ipse Alcmeo tuus, qui negat cor sibi cum oculis consentire? nonne ibidem incitato furore,

» Vnde hæc flamma oritur? & illa deinceps,  
» Incede, incede: adsunt, adsunt: me, me expetunt.

Quid, cum virginis fidem implorat?

» Fer mi auxilium: pestem abige à me:

» Flammiferam hanc vim, quæ me excruciat.

» Ceruleæ incinctæ igni incedunt:

» Circunstant cum ardentibus tedis.

nū dubitas quin sibi hæc videre videatur? itémq; cætera:

» Intendit crinitus Apollo

» Arcum auratum Luna innixus.

» Diana facem iacit à læua.

Qui magis hæc crederet si essem, quàm credebat quia videbantur? apparet enim iam cor cum oculis consentire.

<sup>7</sup> Omnia autem hæc proferuntur, ut illud efficiatur (quo certius nihil potest esse) inter visa vera & falsa ad animi assensum nihil interesse. Vos autem nihil agitis, cum falsa illa vel furiosorum vel somniantium, recordatione ipsorum refellitis. non enim id queritur, qualis recordatio fieri soleat eorum qui experrecti sunt, aut eorum qui furere destiterunt: sed qualis visio fuerit aut furentium, aut somniantium tum, cum comouebantur.

<sup>8</sup> Haecenus ea collecta sunt, quæ ab Academicis philosophis contra sensus disputari solent, dehinc transitus fit ad exempla somniantium, ebriorum, & furio-

forum, adhibita quadam præfatione in Chrysippum Stoicum, qui in refellendis Academicis eorum causam infirmare magis, quàm confirmare videtur. Is quinque libros scripsit ad Methodorum aduersus consuetudinem, & septem pro consuetudine ad Gorgippidem, ut ait Laertius.

<sup>2</sup> Eleuat exempla de dormientibus & vinolentis, magis ut seruiat suæ causæ, quàm ut constanter & philosophicè respondeat. Querimus, inquit, quomodo res appareant somniantibus & ebriosis, veræ, inquam, quæ tamen sunt falsæ. quid tum? an inde concludere potes, Si nulla sit in somniis & ebrietate perceptio, nihil ab homine posse percipi: aut visa quæ vera sunt, à falsis non differre? Hoc argumentum Ciceronis in syllogismo dispone cum proposita quæstione, hoc modo:

Si quæ dormientibus & ebriis vera videntur, non differunt à falsis,  
inter visa vera & falsa nihil intererit:

Sed primum verum:

Verum igitur & postremum.

Videtur quæ plaga sit in propositione syllogismi, quæ & falsa & inconsequens est? non enim sequitur, Si confusa sunt visa dormientium & ebriosorum, ut etiam reliquorum hominum visa confusa sint.

<sup>3</sup> Furor cõsedisse dicitur, qui suos motus & impetus remittit, cum is qui furiosus erat, nihil ferè à sano distare videtur.

<sup>4</sup> Citantur hi versus à Cicerone Tuscul. prima:

Mater te appello, tu quæ curam somno suspensio leuas,  
Neque te mei miseret, surge & sepeli natum.

<sup>5</sup> Exempla tria proferantur de furiosis, Tuditano, Hercule, & Alcmeone, qui vera esse credebant, quæ in furore, animo, & cogitatione verarent: de quibus idem iudicare debemus, quod de somniantibus & vinolentis.

<sup>6</sup> Hercules apud Euripidem tres liberos necat, existimans esse liberos Eurysthei regis Thebarum, & Megaram coniugem suam filiam Creontis: postremò cum sagittam pararet ad cædem Amphitriõis patris, à Pallade prohibitus est.

<sup>7</sup> Concludit contra Lucillum somniantes, ebrios, & insanos assentiri visis, eaque vera credere, quæ tamen falsa sunt, & eleuat solutionem Luculli à dissimilibus: quod genus argumenti totum contra Ciceronem esse docuimus.

<sup>1</sup> Sed ab eo à sensibus. Quid est quod ratione percipi possit? Dialecticâ inuentâ esse dicitis veri & falsi quasi disceptatricem, & iudicè, cuius veri & falsi? & in qua re? in Geometriâne quid sit verum vel falsum, dialecticus iudicabit? an in literis? an in musicis? At ea nõ nouit. In philosophia igitur sol quâtus sit, quid ad illud? Quod sit summum bonum, quid habet ut queat iudicare? Quid igitur iudicabit? quæ coniunctio, quæ disunctio vera sit? quid ambigè dictum sit? quid sequatur quæque rem, quid repugnet? Si hæc, & horum similia iudicat, de se ipsa

iudicat. plus autem pollicebatur. Nam hæc quidem iudicare, ad ceteras res, quæ sunt in philosophia multæ, atque magnæ, non est satis. <sup>2</sup> Sed quoniam in ea arte tantum ponitis, videte ne contra vos tota nata sit, quæ primo progressu festiuè tradit elemèta loquendi, & ambiguum intelligètiæ, concludendique rationem, tum paucis additis venit ad soritas, lubricum sanè & periculosum locum: quod tu modò dicebas esse vitiosum interrogandi genus. Quid ergo? istius vitij num nostra culpa est? rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut vlla in re statuere possimus quatenus. nec hoc in acervo tritici solùm, vnde nomen est, sed vlla omnino in re minutatim interroganti: diues, pauper: clarus, obscurus sit: multa, pauca: magna, parua: longa, breuia: lata, angusta: quanto aut addito aut dempto certum respondeamus, non habemus. <sup>3</sup> At vitiosi sunt sorita. Frangite igitur eos, si potestis, ne molesti sint: erunt enim, nisi caueatis. Cautum est, inquit: placet enim Chrysippo, cum gradatim interrogetur, verbi causa, tria pauca sint, ànne multa: aliquàto prius, quàm ad multa perueniat, quiescere, id est quod ab iis dicitur  $\eta\omicron\upsilon\lambda\omicron\gamma\epsilon\omega$ . <sup>4</sup> Per me vel stertas licet, inquit Carneades, non modò quiescas. Sed quid proficit? sequitur enim qui te ex somno excitet, & eodem modo interroget. quod in numero conticisti: si ad eum numerum vnum addidero, multane erunt? progrediere rursus, quoad videbitur. Quid plura? hoc enim fateris, <sup>5</sup> neque vltimum te paucorum, neque primum multorum respondere posse. Cuius generis error

ita manat, ut nò videã quò non possit accedere. <sup>6</sup> Nihil me ledit, inquit. ego enim ut agitator callidus, prius quàm ad finem veniam, equos sustinebo, eoque magis, si locus is quò ferètur equi, præceps erit. Sic me, inquit, antè sustinebo, nec diutius captiose interroganti respondebo. <sup>7</sup> Si habes quod liqueat, neque respondes, superbè. Si non habes, ne tu quidem persistis. si quia obscura, concedo: sed negas te vsque ad obscura progredi. illustribus igitur rebus insistis. si id tantummodo, ut taceas: nihil assequeris. quid enim ad illum qui te captare vult, vtrū tacentem irretiat te, an loquentem? sin autem vsque ad nouem, verbi gratia, sine dubitatione respondes pauca esse, in decimo insistis. <sup>8</sup> etiam à certis & illustrioribus cohibes assèsum: hoc idè me in obscuris facere non sinis. <sup>9</sup> Nihil igitur te contra soritas ars ista adiuuat, quæ nec augendi, nec minuendi quid aut primum sit, aut postremum, docet. <sup>10</sup> Quid quòd eadem illa ars, quasi Penelope telam retexens, tollit ad extremum superiora? vtrū ea vestra, an nostra culpa est? Nempe fundamentum dialecticæ est, quicquid enuntietur (id autem appellatur  $\alpha\epsilon\iota\omega\mu\alpha$ , quod est quasi effatū) aut verū esse, aut falsum. Quid igitur? hæc vera, an falsa sunt? si te mentiri dicis, idque verum dicis: mentiri verum dicis. <sup>11</sup> Hæc scilicet inexplicabilia esse dicitis, quod est odiosius, quàm illa quæ nos incomprehensa & non percepta dicimus. Sed hæc omitto. Illud quero, si ista explicari non possunt, nec eorum vllum iudicium inuenitur, ut respondere possitis, verane, an falsa sint: vbi est illa definitio, effatum

esse id quod aut verum, aut falsum sit? <sup>12</sup> Rebus sumptis, adiungam, ex his sequēdas esse alias, alias improbandas, quæ non sint in genere contrario. Quomodo igitur hoc cōclusum esse iudicas, Si dicis nunc lucere, & verū dicis: lucet: dicis autem lucere, & verum dicis: lucet igitur? Probat is certè genus, & rectissimè conclusum dicitis: itaque in docendo eum primum cōcludendi modū traditis. Aut quicquid igitur eodem modo concluditur, probabit is: aut ars ista nulla est. Vide ergo, hanc conclusionem probaturusne sis: Si dicis te mentiri, verūque dicis: mentiris. dicis autem te mentiri, verūque dicis: mentiris igitur. Quis potes hanc non probare, cum probaueris eiusdem generis superiorem? <sup>13</sup> Hac Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta. quid enim faceret huic conclusioni, si lucet, lucet: lucet autem, lucet igitur? Crederet scilicet. Ipsa enim ratio connexi, cum concesseris superius, cogit inferius cōcedere. Quid ergo hac ab illa conclusione differt? Si mentiris, mentiris: mentiris autem, mentiris igitur. Hoc te negas posse nec approbare, nec improbare. Quis igitur magis illud? Si ars, si ratio, si via, si vis denique conclusionis valet: eadem est in utroque. <sup>14</sup> Sed hoc extremum eorum est, postulant ut excipiantur hac inexplicabilia. Tribunum aliquem cenfeo adeant: à me istam exceptionem nunquam impetrabūt. <sup>15</sup> Etenim cum ab Epicuro, qui totam dialecticam & contemnit & irridet, non impetrent ut verum esse concedat, quod ita effabimur: Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet: cum dialectici sic statuunt, omne quod

ita disiunctum sit, quasi aut etiam, aut non, non modò verum esse, sed etiam necessarium: vide quàm sit cautus is, quem isti tardum putant. <sup>16</sup> Si enim, inquit, alterutrū concessero: necessarium esse necesse erit, cras Hermachū aut viuere, aut non viuere: nulla autem est in natura rerum talis necessitas. <sup>17</sup> Cum hoc igitur dialectici pugnent, id est Antiochus, & Stoici: totam enim evertit dialecticam. nam si è contrariis disiunctio (contraria autem ea dico, cum alterum ait, alterum negat) si talis disiunctio falsa potest esse, nulla vera est. Mecum verò quid habent litium, qui ipsorum disciplinam sequor? <sup>18</sup> Cum aliquid huiusmodi inciderat, sic ludere Carneades solebat: Si rectè conclusit, teneo: sin vitiose, minā Diogenes reddat. ab eo enim Stoico dialecticam didicerat: hac autem merces erat dialecticorum. Sequar igitur eas vias, quas didici ab Antiocho: nec reperio quomodo iudicem, si lucet, lucet, verum esse, ob eam causam, quòd ita didici, omne quod ipsum ex se connexum sit, verum esse: non iudicem, si mentiris, mentiris, eodem modo esse connexum. <sup>19</sup> Aut igitur hoc, & illud: aut nisi hoc, ne illud quidem iudicabo.

<sup>12</sup> I Transiit à sensibus ad refutationem artium, quæ animo videtur percipi: ac primùm refellit definitionē dialecticæ enumeratione rerū subiectarū, sed captiosa & fallaci: non enim dialectica dicitur iudex esse veri & falsi, quia dialecticus omnes artes nouerit, in quibus verum à falso possit discernere: sed quia hæc ars sit regula de omnibus rebus iudicandi, sicut Grammatica de omnibus rebus purè loquēdi. Itaque quemadmodum si Geometra, Arithmetica, Musica purè loquuntur, id Grammaticæ virtute faciunt, non sua: ita cum per syllogismum rectè iudicant de rebus sibi subiectis, dialectica arte & potestate faciunt, non sua: quia sola dialectica docet leges de omnibus iudicandi: nec magis consequens est, Dialectica est regula iudicandi de omnibus, ergo dialecticus nouit omnia: quàm si dixeris, Grammatica est regula de omnibus purè loquendi, ergo grammaticus nouit omnia.

<sup>2</sup> Secundum argumentum contra dialecticam Stoicorum ducitur à subiecta

ei disciplinæ materia: id est, præceptis dialecticis, in quibus Stoici non solum grammaticam artē cōfundebāt, cum præciperēt de orthographia, etymologia, syntaxi, vt ex Diogene Laertio cōstat: sed hærebāt in suis foritis, quæ gradationes minutis interrogatiunculis fiunt, habentque lubricum & periculosum genus argumentationis, quod in hac gradationis continuatione non satis cohærentia interdum copulatur, sed cognita & adhibita luce syllogismi, facili hic sophisticus & captiosus error foritarum cognoscitur. Chrysippus autem Stoicus ignoratione dialectici syllogismi ad dissoluendas captiones foritarum confinxerat modum quendam stationis, vltra quæ progredi non liceret: qui profectò rectè & meritò irridetur & exagitur à Cicerone: hoc enim commentū cōtra foritas nihil valet, sed constans, & certa, & perpetua regula syllogismi vitium & fraudem detegit.

3 Dialogismus Stoici cuiusdam philosophi cum Academico nouo, vbi Stoicus contendit esse aliquem modum gradationis in forite: academicus verò disputat, interrogationes in infinitum progredi posse: sed exemplum quod hîc citatur, non modò nullius conclusionis formam veram habet, sed vanam & ridiculâ subtilitatem

4 Permissio est & iocus in Chrysippū ex metaphorica nouitate verbi *ἰσχυρῶς*, à quiete corporis ad cessationem quandam in respondendo.

5 Quia numerus potest in infinitum augeri.

6 Verba sunt Chrysippi, & allegorica similitudo ab aurigis, qui quemadmodum equos suos cohibent in lubrico & præcipiti loco, ne temerè ruant: sic in forite philosophus sistet, ne in fallacem conclusionem tanquam in præcipitium feratur.

7 Dilemma est Ciceronis contra Chrysippum ineptè præcipientem, quemadmodum captiosis gradationibus occurrendum sit.

8 Argumentum à minori ad maius.

9 Conclusio contra Chrysippum hærentem in foritis: nectamen ista culpa dialecticæ est, sicuti Cicero obiicit, sed Chrysippi dialecticam ignorantis. ars enim dialectica docet totum hoc sophismatis genus sine iudicio & syllogismo esse, quod in nullam constantis syllogismi formam reduci possit.

10 Irridet alterâ incitiam Chrysippi dialectico principio repugnatis, Omne enuntiatum verum esse aut falsum: Chrysippus enim postulat exceptionem in enuntiatis, quæ vocat inexplicabilia, quæ neque vera, neque falsa dici posse putat: in quo valde labitur. Porro dialectica Penelopæ coniugi Ulyssis comparatur, quod vt hæc ad fallendos procos telam interdum cōtextam noctu retexebat: sic Chrysippea dialectica syllogismi cōtextum dissoluit, vt propositionem primam inexplicabilem tollat. metuebat enim Chrysippus, ne si hanc propositionem concederet,

*Si mentiri te dicis, verumque dicis, mentiri te, verū dicis: addita assumptione, Sed mentiri te dicis, verumque dicis:*

Ex antecedentibus veris absurda conclusio efficeretur,

*Ergo mentiri te, verum dicis.*

Quasi verò mentiri & verum dicere, de eadem re affirmetur, & non de diuersis. mentiri enim refertur ad aliquam rem falso enuntiatā, & verum dicere, ad affirmationem falsæ enuntiationis. Itaque hoc Chrysippeum enuntiatum in dissolubile non est.

11 Vrget Chrysippum à definitione pronuntiatum logici: syllogismus est connexus primi modi, cuius assumptio præcedit illustrata à maiori ad minus.

12 Aliud argumentum à paribus sumptum ex natura syllogismi, cuius forma constans & perpetua est, nec vllò exemplo potest fallere. Itaque si in aliquo genere conclusionis probatur exemplum, reliqua quæ sunt eiusdem generis & dispositionis, probentur necesse est.

13 Irridet Chrysippum in superiore connexo hæsitantem, eumque rursus

premit exemplo à paribus.

14 Iocus est in Chrysippum excipientem hoc connexum in dissolubile & à definitione enuntiatum, & à regula syllogismi connexi, quasi dialectica hæc præcepta generalia non sint, & exceptionē aliquam patiantur. Iocus autem sumitur à similitudine tribunorum plebis, qui generalib<sup>9</sup> legibus, & præceptis interdum adiungi exceptiones volebant.

15 Approbatio proximi ioci à dissimilibus: non impetrabunt à me exceptionem, sicut ab Epicuro impetrant, ignaro dialecticæ artis, qui maximè generali & vniuerso præcepto dat exceptionem, negatque enuntiatum disunctum ex contradicentibus verū esse: quod perinde est ac si neget contradictionis partē alterā verā esse, alteram falsam: in quo reuoluitur ad veterem & damnatam sententiam Protagoræ & Anaxagoræ res omnes confundentium, & contradictionem de medio tollentiū, contra quos pugnat Aristoteles libro 4. Metaphy.

16 Epicuri ratio de disunctione interponitur, quæ fallax est: non enim si alterum de duobus verum est, necesse est alterutrum esse verum. hæc enim necessitas ex conditione coniunctæ cōtradictionis pendet, nō ex disunctarū natura partium.

17 Explicat locum dissimilium: Impetrent ab Epicuro: à me non impetrabunt, quia sequor dialecticam disciplinam, quæ nullam admittit exceptionem in enuntiatis & syllogismis.

18 Concludit cōstantiam dialectici disuncti autoritate Diogenis Stoici, & ad Chrysippeum enuntiatum rediens, disputat à paribus verum illud esse.

19 Conclusio argumenti à paribus.

*1 Sed vt omnes istos 2 aculeos, & totum tortuosum genus disputadi relinquamus, ostēdamusque qui simus: iam explicata tota Carneadis sententia, Antiochi ista corruent vniuersa. Nec verò quicquam ita dicam, vt quisquam id fingi suspicetur. à Clitomacho sumam, qui vsque ad senectutem cum Carneade fuit, homo & acutus, vt Pænus, & valde studiosus ac diligēs. & quatuor eius libri sunt de sustinendis assensionibus. hæc autē quæ iam dicam, sunt sumpta de primo. 3 Duo placet esse Carneadi visorum genera: in vno hanc diuisionem: alia visa esse quæ percipi possint, alia quæ non possint: in altero autē, alia visa esse probabilia, alia non probabilia: itaque quæ contra sensus, contraque perspicuitatem dicantur, ea pertinere ad superiorem diuisionem: contra posteriorem nihil dici oportere. quare ita placere, tale*  
f. i.

visum nullum esse, ut perceptio consequeretur: ut autem probatio, multa. <sup>4</sup> etenim contra naturam esset, si probabile nihil esset. Sequitur omnis vita ea, quam tu Luculle commemorabas, eversio. <sup>5</sup> Itaque & sensibus probanda multa sunt. Teneatur modò illud, non inesse in his quicquam tale, quale non etiam falsum nihil ab eo differens esse possit. Sic quicquid acciderit specie probabile: si nihil se offeret quod sit probabilitati illi contrarium, utetur eo sapiens, ac sic omnis ratio vitæ gubernabitur. <sup>6</sup> Etenim is quoque, qui à vobis sapiens inducitur, multa sequitur probabilia non comprehensa, neque percepta, neque assensa, sed similia veri: quæ nisi probet, omnis vita tollatur. Quid enim? conscendens nauem sapiens num comprehensum animo habet, atque perceptum, se ex sententia nauigaturum? quæ potest? sed si iam ex hoc loco profisciscatur Puteolos stadia triginta, probò nauigio, bono gubernatore, ac tranquillitate: probabile videatur se illuc venturum esse saluum. <sup>7</sup> Huiusmodi igitur visis consilia capiet & agendi, & non agendi: faciliorque erit ut albam esse niuem probet, quam erat Anaxagoras, qui id non modò ita esse negabat, sed sibi, quia sciret aquam nigram esse, unde illa concreta esset, albam ipsam esse ne videri quidem. <sup>8</sup> Et quæcunque res eum sic attinget, ut sit visum illud probabile, neque vlla re impeditum: mouebitur. non enim est è saxo sculptus, aut è robore dolatus: habet corpus: habet animum: mouetur mente: mouetur sensibus: ut ei multa vera videantur: neque tamen habere insignem illam & propriam percipiendi

notam: eoque sapientem non assentiri, quia possit eiusdem modi existere falsum aliquod, cuiusmodi hoc verum. <sup>9</sup> Neque nos contra sensus aliter dicimus, ac Stoici, qui multa falsa esse dicunt, longèque aliter se habere, ac sensibus videantur. Hoc autem si ita sit, ut vnum modò sensibus falsum videatur: præsto est qui neget rem vllam percipi posse sensibus. Ita nobis tacentibus, ex vno Epicuri capite, altero vestro, perceptio & comprehensio tollitur. quod est caput Epicuri? Si vllum sensibus visum falsum est, nihil percipi potest. Quod vestrum? Sunt falsa sensus visa. Quid sequitur? ut taceam, conclusio ipsa loquitur, Nihil posse percipi. <sup>10</sup> Non concedo, inquit, Epicuro. Certa igitur cum illo, qui à te totus diuersus est: noli mecum, qui hoc quidem certè, falsi esse aliquid in sensibus, tibi assentior. <sup>11</sup> Quanquam nihil mihi tam mirum videtur, quam ista dici ab Antiocho quidè maxime, cui erant quæ paulò antè dixi, notissima. Licet enim hæc quiuis arbitratu suo reprehendat, quod negemus rem vllam percipi posse: certè leuior reprehensio est, quod tamen dicimus esse quædam probabilia. Non videtur hoc satis esse vobis, ne sit: illa certè debemus effugere, quæ à te vel maxime agitata sunt. <sup>12</sup> Nihil igitur cernis? nihil audis? nihil tibi est perspicuum? Explicauimus paulò antè Clitomacho authore, quo modo ista Carneades diceret. Accipe quemadmodum ea dicantur à Clitomacho in eo libro quem ad C. Lucilium scripsit poetam, cum scripsisset iisdem de rebus ad <sup>13</sup> L. Censorinum, eum qui Cõsul cum M. Manilio fuit. <sup>14</sup> Scripsit igitur

his ferè verbis: Sunt enim mihi nota propterea, quòd earum ipsarum rerum, de quibus agimus, prima institutio & quasi disciplina illo libro còtinetur. sed scriptum est ita, Academicis placere esse rerum eiusmodi dissimilitudines, ut alie probabiles videantur, alie contrà. id autem non esse satis cur alia percipi posse dicas, alia non posse: propterea quòd multa falsa probabilia sint, nihil autem falsi perceptum & cognitum possit esse.<sup>15</sup> Itaque ait vehemèter errare eos, qui dicant ab Academia sensus eripi, à quibus nunquam dictum sit aut colorem, aut saporem, aut sonum vllum esse: illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri & certi notã.

<sup>16</sup> Quæ cū exposuisset, adiungit, dupliciter dici assensus sustinere sapientem: vno modo, cū hoc intelligatur omnino eum rei nulli assentiri: altero, cū se à respondendo, ut aut approbet quid, aut improbet, sustineat: ut neque neget aliquid, neque aiat. Id cū ita sit: alterum placere, ut nunquam assentiatur: alterum tenere, ut sequens probabilitatem, vbiunque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam, aut non, respondere possit: nec, ut placeat eum qui de omnibus rebus contineat se ab assentiendo, moueri tamen, & agere aliquid, reliquit eiusmodi visa, quibus ad actionem excitemur. Item ea quæ interrogati in vtrunque partem respondere possimus, sequentes tantummodo quod ita visum sit, dum sine assensu: neque tamè omnia eiusmodi visa approbari, sed ea quæ nulla re impedirentur.<sup>17</sup> Hæc si vobis non probamus, sint falsa sanè: inuidiosa certè non sunt. non enim lucem

eripimus: sed ea quæ vos percipi comprehendique, eadem nos, si modò probabilia sint, videri dicimus. Sic igitur inducto & constituto probabili, & eo quidem expedito, soluto, libero, nulla re implicato, vides profectò Luculle iacere iam illud tuum perspicuitatis patrociniū. Isdem enim hic sapiens, de quo loquor, oculis, quibus iste vester, calum, terram, mare intuebitur: iisdem sensibus reliqua, quæ sub quenque sensum cadunt, sentiet.

<sup>18</sup> Mare illud quod nunc Fauonio nascente purpureū videtur, idem huic nostro videbitur: nec tamen assentietur, quia nobismet ipsis modò cæruleum videbatur, mane flavum: quòdque nunc, quia à sole collucet, albescit & vibrat, dissimilèque est proximo ei continenti: ut etiam si possis rationem reddere cur id eueniat, tamen non possis id verum esse, quod videbatur oculis, defendere.

<sup>1</sup> Hactenus Cicero respondit ad Lucillum, id est Antiochum: deinceps exponit sententiam Carneadis de ratione visorum, deque assensionibus, ut Academicorum causa confirmata, contraria disputatio Antiochi leuior & imbecillior appareat, & in secunda parte huius transitionis docet proximam propositionem ex libro primo Clitomachi sumptam esse, qui Carneadem multos annos audiuit, eiusque sententiam Græcis literis illustravit, ut ait Laertius lib. 4.

<sup>2</sup> Aculei metaphoricè dicuntur interrogatiuncula spinosa, quibus Stoici videntur in disputando ad pungendum aduersarium, & tortuosum genus disputandi, & fallax & captiosa argumentatio & plena anfractibus, ut Stoicus sorites, & Chrysippeus syllogismus ex insolubilibus.

<sup>3</sup> Visorum duplex est partitio apud Clitomachum, sed prior stulta & ridicula: nam si nulla visa percipiuntur, ut Academici censent, stultum est ea in percepta & non percepta diuidere: posterior magis apta est instituto Academicorum, qui licet nihil comprehendendi sensibus aut animo dicant, multas tamè res probabiles esse non negant acceptas sensibus & animo, quas Academicus sapiens & philosophus & in deliberando de officiis degèda vitæ, & in Ethicis, physicis, dialecticis, reliquisque philosophiæ disciplinis sequetur: nec vltra ipsum probabile in inquisitione veri progredietur. Hoc igitur Academicum decretum est, Sapienti nihil esse perceptum: multa autem probabilia videri.

<sup>4</sup> Confirmat aliquid esse probabile à repugnantibus, quia alioqui ratio vitæ tolleretur: hoc eodem argumento antea Lucillus vsus erat.

<sup>5</sup> Secundum argumentum à dissimilibus, non quemadmodum sapiens multa sensibus accepta probat, sic eadem percipit.

6 Tertium argumentum contra Stoicos similiter ab exemplo speciali, ad probandum sapientem Stoicum interdum verisimile sequi: sed Stoici hoc alienū à quæstione dicerēt, quia sapiens Stoicus de navigatione non deliberaret vt sapiens, sed vt vir prudens & opinator: deliberationem enim esse in rebus mutabilibus & variè cadentibus, sapientiam in cognitione causarum æternarum & immutabilium.

7 Illustratio à dissimilibus. Anaxagoras quod verisimile est, non facile sequitur, Academicus sapiens multò facilius: ille non modò dixit, sed etiā putauit niuem esse nigram, quòd ex nigricante materia fieret.

8 Amplificat locum de opinatione sapientis à causis efficientibus probabiles visiones, id est sensibus & animo, & tamen ei perpetuam tribuit ἐκων, id est, assensionem retentionem, quia nihil propria & vera notione percipitur.

9 Remouet à sensibus κατὰ ληΐν authority Stoicorum & Epicureorū: syllogismus est connexus primi modi.

10 Occurrit inficiationi connexæ propositionis, & de assumptione consentit cum Stoicis.

11 Digressiuncula est in Antiochum, cuius autoritas eleuatur inconstantia & leuitate sententiæ: quo etiā in loco iteratur Academicum decretum, Nihil sciri, sed multa probabilia videri sapienti.

12 Occupat Antiocheum argumentum de sensibus & perspicuitate, & attentionis excitandæ gratia transitionem facit ad ea, quæ dicuntur à Clitomacho contra eiusmodi obiectiones aduersariorum.

13 L. Martius Censorinus & M. Manilius, vel, vt alii scribunt, Manlius, consules fuerunt, anno vrbs condita sexcentesimo quinto.

14 Cicero incipit recitare ex libris Clitomachi summam aliquam Academicæ disciplinæ certis capitibus comprehensam. Primum caput continet diuisionem rerum in probabiles & improbabiles, earumque distinctionem à rebus perceptis & non perceptis.

15 Confectarium est de sensibus, in quibus negat inesse scientiam, idque verè, quia sensus rerum sunt indices, non iudices, in quibus nullum iudicium est, neque ratio, qua rerum causas æstiment & iudicent.

16 Alterum caput, vbi Clitomachus distinguit verbum ἐπαχθῆν, duosque modos ostendit assensum sustinendi, quorum prior vtetur sapiens, vt nulli rei assentiatur: non item posteriore, vt nihil sapiens respondeat: quia & affirmabit, quæ probabilia videbuntur, & negabit contraria.

17 Concludit Academicam Clitomachi philosophiam: & quid à Stoicorum philosophia differat, ostendit: vtiturque exemplis rerum sensibilium, quæ probantur quidem à sapiente, sed non percipiuntur.

18 Purpureus color est niger admisto quodam rubore, qualis apparet in aquis ad solem occidentem, sicut mane flauus, & meridie caruleus, idque accidit ex radiis solis variè incidentibus in mare.

<sup>1</sup> Vnde memoria, si nihil percipimus, (sic enim quærebatur) quòd meminisse visa nihil cōprehensa non possimus? <sup>2</sup> Quid Polyenus, qui magnus mathematicus fuisse dicitur? is posteaquam Epicuro assentiens, totā geometriam esse falsam credidit, num illa etiā quæ sciebat,

oblitus est? Atqui falsum quod est, id percipi non potest, vt nobismetipsis placet. <sup>3</sup> Si igitur memoria perceptarū comprehensarūque rerum est: omnia quæ quisque meminit, habet ea comprehensa, atque percepta: falsi autē comprehendere nihil potest: & omnia meminit Scyron Epicuri dogmata: vera igitur illa sunt nūc omnia. Hoc per me licet. Sed tibi aut cōcedendum est ita esse, quod minimè vis: aut memoriam mihi remittas, oportet: & facilem ei esse locum, etiā si cōprehensio perceptioque nulla sit. <sup>4</sup> Quid fiet artibus? quibus? usne quæ ipsæ fatentur coniectura se plus vti, quàm scientia: an iis quæ tantum id quod videtur, sequuntur, nec habent istam artem vestram, qua vera & falsa diiudicent? <sup>5</sup> Sed illa sunt lumina duo, quæ maximè causam istam continēt. Primum enim negatis fieri posse, vt quisquam ulli rei assentiatur. At id quidem perspicuum est: cum Panætius, princeps propè meo quidem iudicio Stoicorum, ea de re dubitare se dicat, quam omnes præter eum Stoici certissimam putant: vera esse aruspicum auspicia, oracula, somnia, vaticinationes: seque ab assensu sustineat. Quod si is potest facere, vt de iis rebus, quas illi à quibus ipse didicit, certas habuerit: cur id sapiens de reliquis rebus facere nō possit? An est aliquid quod positū vel improbare, vel approbare possit, dubitare nō possit? <sup>6</sup> An tu in soritis poteris hoc, cum voles: ille reliquis rebus nō poterit eodē modo insistere, præsertim cum possit sine assensione ipsam verisimilitudinē non impeditā sequi? <sup>7</sup> Alterū est, quòd negatus actionē ullius rei posse in eo esse, qui nullam

rem assensu suo cōprobet. Primū enim videri oportet, in quo sit etiam assensus. dicunt enim Stoici sensus ipsos assensus esse: quos quoniam appetitio consequatur, actionem sequi: tolli autem omnia, si visa tollantur. Hac de re in vtraque partem & dicta sunt & scripta multa. Vide superiora: sed breui res potest tota confici. <sup>8</sup> Ego enim etsi maximam actionem puto repugnare visis, obistere opinionibus, assensus lubricos sustinere, credoque Clitomacho ita scribenti, Hercules quendam laborem exantlatum à Carneade, quod vt feram & immanem belluam, sic ex animis nostris assensionē, id est opinionationem & temeritatem extraxisset: tamen vt ea pars defensionis relinquatur, <sup>9</sup> quid impedit actionem eius, qui probabilia sequitur nulla re impediēte? Hoc, inquit, ipsum impedit, quod statuet, ne id quidē, quod probet, posse percipi. Iam istuc te quoque impedit in nauigādo, in conserendo, in vxore ducenda, in liberis procreandis, plurimisque in rebus, in quibus nihil sequere præter probabile. <sup>10</sup> Et tamen illud vsitatum, & sæpe repudiatum refers, non vt Antipater, sed vt ais, presius: nam Antipatrum reprehensum, quod diceret, consentaneum esse ei qui affirmaret nihil posse comprehendī, id ipsum saltē dicere posse cōprehēdi: quod ipsi Antiocho pingue videbatur, & sibi contrariū. <sup>11</sup> non enim potest conueniēter dici nihil cōprehendi posse, si id ipsum cōprehēdi posse dicatur. <sup>12</sup> Illo modo potius putat vrgendū fuisse Carneadē, cum sapientis nullū decretū esse possit, nisi cōprehensum, perceptum, cognitū: vt hoc ipsum decretum, quod

sapientis esset, nihil posse percipi, fateretur esse perceptū. <sup>13</sup> proinde quasi sapiens nullum aliud decretum habeat, & sine decretis vitam agere possit. Sed vt illa habet probabilia, non percepta: sic hoc ipsum, nihil posse percipi. <sup>14</sup> nam si in hoc haberet cognitionis notam, eadem vteretur in ceteris. quam quoniam non habet, vtitur probabilibus. <sup>15</sup> Itaque non metuit ne confundere omnia videatur, & incerta reddere. Non enim quemadmodū si quæsitum ex eo sit, stellarum numerus par, an impar sit: item si de officio, multisque aliis de rebus, in quibus versatur, exercitatusque sit, nescire se dicat. in incertis enim nihil est probabile: in quibus autem est, in his non deerit sapienti neque quid faciat, neque quid respondeat. <sup>16</sup> Ne illam quidē prætermisisti Luculle reprehensionem Antiochi (nec mirum: in primis enim est nobilis) qua solebat dicere Antiochus Philonem maximè perturbatum. Cum enim sumeretur vnum, esse quadā falsa visa: alterum, nihil ea differre à veris: non attendere, superius illud ea re à se esse concessum, quod videretur esse quadam in visis differentia: eam tolli altero, quo neget visa à falsis vera differre: nihil tam repugnare. <sup>17</sup> Id ita esset, si nos verum omnino tolleremus. Non facimus: nam tam vera, quàm falsa cernimus. sed probandi species est: percipiendi signum nullum habemus.

<sup>8</sup> 1. Exposita Carneadis sententia, Cicero redit ad Lucullum, id est Antiochum, ne superioris orationis argumentum vllum sine refutatione prætereat: respōdetque argumento de memoria, leui & inepto, quia falsorum etiam visorum possit esse memoria, vt constat duobus exemplis Polyeni & Seyronis.

<sup>2</sup> Polyænus fuit Athenodori filius Lampfacenus modestus vir & amabilis, vt ait Laertius libro decimo. Hunc Epicurus maluit geometriam dedocere, quàm ab eo discere. Cic. lib. 1. de finibus.

3 Syllogisus est connexus secundi modi ad refellendū argumētū memoriæ.  
4 Argumentum à definitione artis, superiori proximum fuit, quod soluitur per species: quæ enim dicuntur demonstratiuæ, vt Mathematicæ artes: & quæ dicuntur opinabiles, vt Rhetoricæ, nihil habent certi & percepti, sed probabilibus tantū præceptis & institutis continentur.

5 Duo capita Lucullæ causæ refelluntur, quæ probabant esse aliquem sapientis assensum: & primum quidem ab autoritate Panætii Rhodii, qui licet Stoicus sit, negat tamen esse assentiendum & credendum auguriis, quæ reliqui Stoici verissima & certa esse confirmant, Zeno, Cleanthes, Antipater, Diogenes, Chrysipus, Posidonius: de quibus Cicero libro 2. de Diuinatione. Panætii testimonium illustratur à paribus: syllogisus est connexus primi modi.

6 Alterum item argumentum à parium collatione.

7 Alterum est firmamentum disputationis à Lucullo frequenter adhibitum, cum & κατὰ λῆξιν & συγκατάθεσιν confirmaret: quibus sublatis, dicebat omnem actionem tolli, qui locus tractatur à causis efficiētibus assensum, sicut à Stoicis præscriptum est: sensus enim parit assensum, assensus appetitionem, appetitio actionē. Cui argumento iam à nobis responsum est: & ita nunc occurrit, quod possit assensus & appetitio & actio gigni ex probabilibus visis, neque tamē perceptis & cognitis.

8 Solutio argumenti duplex est, quod assensum cohibere, itēque res probabiles sequi, magnæ sint actiones hominis sapientis. Primum declaratur à similibus: vt Herculi difficile fuit tollere hydram: sic Sapientis magnum opus est tollere ex animo temerariam assensionem. Hydra, fuit serpens multorum capitum in Lerne palude iuxta Argos, cui amputato vno capite duo succrescebant. Hanc belluam Hercules primum claua percussit, deinde sagittis, postremò cum se in latebris abdidisset, congestis lignis, igne consumpsit.

9 Subiicit alterum genus actionum, in quibus versatur sapiens: vt cum multa persequitur officia, quorum probabilem rationem posset reddere, vt propositis aliquot exemplis constat.

10 Antipater & Antiochus contra hoc Academicū decretū, Nihil posse percipi, disputarant: sed ille minus subtiliter, hic prescius. Hæc igitur argumēta denuò repetuntur & refelluntur: primū Antipatri dicitur pingue, id est hebes & parum subtile, vel impeditum & ineptum, vt ait Nonius, hunc locum citans.

11 Quia vtraque pars cōtradictionis specialis simul esset vera, quod non modo rectè fieri, sed omnino fieri non potest.

12 Repetit argumētum Antiochi cōtra Carneadem ab adiūctis: syllogisus simplex primi generis integer est:

*Omne decretum sapientis debet esse perceptum:*

*Nihil posse sciri, est decretum sapientis:*

*Hoc igitur debet esse perceptum.*

13 Refellit Antiochi argumentum, negādo propositionem syllogisini sumptam ex stultissima veterum philosophorum persuasione, qui decreta suæ scholæ & disciplinæ tam vera & certa esse credebant, quàm Pythii Apollinis oracula: cum tamen satis constet, nihil tale in antiquorum philosophia reperiri, vt satis superque sit, si decretum sapientis probabile fuerit.

14 Ratio à paribus. Syllogisus connexus secundi modi.

15 Dissoluit obiectionem illam Luculli, Quod omnia redderentur incerta, si nihil posset percipi, & argumentatur à dissimilibus, Non quemadmodum incertum est sapienti, an stellarum numerus par sit vel impar: sic officia vitæ sunt incerta: probabilia enim sunt sapienti, nihil autem incertum est probabile.

16 Hoc argumentum similiter à Lucullo Academicis obiectum fuit, ad refellendum Philonem quasi pugnantiā dicentem. hæc enim pugnantiā videntur, Diuidere visa in vera & falsa, & Dicere inter vera & falsa nihil interesse.

17 Solutio argumenti ambigui fit adhibita distinctione: vera visa distinguntur à falsis, non perceptione & scientia, sed coniectura & opinione.

*Ac mihi videor nimis etiā nunc agere ieiunè. 2. cum sit enim campus in quo possit exultare oratio: cur eam in tantas angustias, & in Stoicorum dumeta compellimus? 3. Si enim mihi cum Peripatetico res esset, qui id percipi posse diceret, quod impressum esset è vero: neque adhiberet illam magnam accessionem, quo modo impirmi non posset à falso: cum simplici homine simpliciter agerem, nec magnopere contenderē. Atque etiam si, cum ego nihil dicerem posse comprehendere, diceret ille sapientem interdum opinari: non repugnarem, præsertim ne Carneade quidem huic loco valde repugnante. 4. Nunc quid facere possum? quæro enim quid sit quod comprehendere possit. Respondet mihi non Aristoteles, aut Theophrastus, ne Xenocrates quidem, aut Polemo, sed nihil minor: quod est tale verum, quale falsum esse non possit. Nihil eiusmodi inuenio: itaque in cognitione nimirum assentiar, id est opinabor. Hoc mihi & Peripatetici, & vetus Academia concedit, vos negatis, 5. Antiochus in primis, qui me valde mouet: vel quod amaui hominem, sicut ille me: vel quod ita iudico, politissimum & acutissimum omnium nostræ memoriæ philosophorum. à quo primum quæro, quo tandem modo sit eius Academia, cuius se esse profiteatur? Vt omittam alia: hæc duo, de quibus agitur, quis vnquam dixit aut veteris Academia, aut Peripateticorum, vel id solum percipi posse, quod*

esset verum tale, quale falsum esse non posset: vel sapientem nihil opinari? Certè nemo. Horum neutrum ante Zenonè magnopere defensum est. ego tamen vtrunque verum puto: nec dico tēporis caussa: sed ita planè probo.

<sup>6</sup> Illud ferre non possum. Tu cum me incognito assentiri vetes, idque turpissimum esse dicas, & plenissimum temeritatis: tantùm tibi arroges, vt exponas disciplinã sapiētiae, naturam rerum omnium euoluas, mores fingas, fines bonorum malorũque constituas, officia describas, quam vitam ingrediar definias, idemque etiam disputandi & intelligendi iudiciũ dicas te & artificium traditurum: perficies vt ego ista innumerabilia complectens, nusquam labar? nihil opiner?<sup>7</sup> Quæ tandem ea est disciplina, ad quam me deducas, si ab hac abstraxeris? Vereor ne subarroganter facias si dixeris tuã: atque ita dicas necesse est. Neque verò tu solus, sed me ad suam quisque rapiet. Age, restituro Peripateticis, qui sibi cum oratoribus cognitionẽ esse, qui claros viros à se instructos dicant Remp. sepe rexisse: sustinero Epicureos, tot meos familiares, tam bonos, tam inter se amantes viros:<sup>8</sup> Diodoro quid faciam Stoico, quem à puero audiui, qui mecum viuit tot annos, qui habitat apud me, quem & admiror, & diligo, qui ista Antiocheia contemnit? Nostra, inquires, sola vera sunt. Certè sola, si vera: plura enim vera discrepantia esse non possunt.<sup>9</sup> Vtrum igitur nos impudentes, qui labi nolimus: an illi arrogantes, qui sibi persuaserint scire se solos omnia?

<sup>1</sup> Vniuersa oratione Luculli partibus singulis refutata & dissoluta, ad extremum Cicero adhibet excusationẽ quandam, cur tam subtiliter & spinose argumentatus sit, culpamque ipsam regerit in Stoicos, qui nimis argutè visum ipsum, de quo agitur, definiuit. Syllogismus est connexus tertii modi:

*Si mihi res esset cum simplicibus philosophis & non versutis,*

*agerem simpliciter, & non argutè:*

*Sed mihi res non est cum simplicibus, sed cum argutis:*

*Et idcirco mihi argutè agendum fuit.*

<sup>2</sup> Allegoria est à locis spatiosis, & à salebrosis, ad significandum duplex argumentationis genus: vnum copiosum & latè fufum, quod Peripatetici sequuti sunt: alterum subtile & angustum, quod placuit Stoicis. Stoicorum, ait Cicero libro 3. de finibus, non ignoras quàm sit sp̄ inofum, vel subtile dicendi genus.

<sup>3</sup> Propositio syllogismi.

<sup>4</sup> Assumptio syllogismi per remotionem antecedentis.

<sup>5</sup> Antiochus adducitur in inuidiam, quòd se Academicum veterẽ profiteatur, & tamen à disciplina veteris Academiae desciscat, quæ censet sapientem interdum aliqui opinari.

<sup>6</sup> Postrema amplificatio est ad commonendum Lucullum ab adiunctis rerũ quæ in philosophia disputantur. Syllogismus simplex primi generis:

*Nulli rei incognita est assentiendum:*

*Quicquid in philosophia traditur, est incognitum:*

*Nulli igitur rei in philosophia assentiendum est.*

Assumptio declaratur per tres philosophiæ partes, Ethicam, physicam, dialecticam.

<sup>7</sup> Altera approbatio assumptionis à discrepantibus philosophorum sententiis, Epicureorum, Peripateticorum, Stoicorum, cum vna de re vna & eadem sit lex & regula veritatis. Itaque satis magno argumento est in philosophia veterẽ nihil fuisse perceptum & cognitum, quòd ipsi philosophi de eadem re tam varia, tamque discrepantia præciperent.

<sup>8</sup> Diodorus Stoicus non solum familiarissimè vixit cum Cicerone, sed etiam domi eius mortuus est, à quo cū alia multa, tum dialecticam didicit, vt ait in Bruto.

<sup>9</sup> Conclusio est syllogismi, vel potius vniuersæ refutationis aduersus Lucullum: cuius argumenta sigillatim sic à nobis animaduersa sunt: adhibito lumine dialecticæ inuentionis & dispositionis, vt falsa, leuia, inconsequentia, & aliena quæ essent, indicaremus: vera, & ad rem propositã pertinentia, laudaremus: & in singulis huius contentions capitibus non solum nos interpretes, sed etiã dialecticos rerum æstimatores & iudices adhiberemus.

<sup>1</sup> Non me quidem, inquit, sed sapientem dico scire. Optimè: nempe ista scire, quæ sunt in tua disciplina. Hoc primum quale est, à non sapiente explicari sapientiam? Sed discedamus à nobismetipsis: de sapiente loquamur: de quo, vt sepe iam dixi, omnis hæc quæstio est. In tres igitur partes & à plerisque, & à nobismetipsis distributa sapientia est.<sup>2</sup> Primum ergo, si placet, quæ de na-

tura rerū sint quæ sita, videamus: velut illud antè, Estne quisquam tanto inflatus errore, vt sibi se illa scire persuaserit? non quero rationes eas quæ ex coniectura pendent, quæ disputationibus huc & illuc trahuntur, nullā adhibent persuadendi necessitatem. Geometra provideant, qui se profitentur non persuadere, sed cogere, & qui omnia vobis, quæ describunt, probāt.<sup>3</sup> Non quero ex his illa initia mathematicorum, quibus non concessis, digitum progredi non possunt: Punctum esse, quod magnitudinem nullam habeat: extremitatem, quasi libramentum, in quo nulla omnino crassitudo sit: lineam verò sine vlla latitudine currentem.<sup>4</sup> Hac cum vera esse concessero: si adiciam iusiurandum, sapientemne prius quàm Archimedes eo inspectante rationes omnes descripserit eas, quibus efficitur multis partibus solem maiorem esse quàm terrā, iuraturum putas? si feceris: solē ipsum, quem deum censet esse, contempserit. Quòd si Geometricis rationibus non est crediturus, quæ vim afferunt in docendo, vos ipsi, vt dicitis: nā ille longè aberit, vt argumentis credat philosophorum: aut si est crediturus, quorum potissimum? omnia physicorū licet explicare, sed longum est: quero tamen, quem sequatur. Finge aliquem nunc fieri sapientē, nondum esse: qua potissimum sententia melius eliget disciplinam? & si quamcunque eliget, insipiens eliget. Sed sit ingenio diuino, quem vnū è physicis potissimum probabit? nec enim plus vno poterit. Non persequor quæstiones infinitas: tantum de principis rerum, è quibus omnia constant, videamus

quem prober: est enim inter magnos homines summa dissensio.<sup>6</sup> princeps Thales vnus è septem, cui sex reliquos consensisse primos ferunt, ex aqua dixit constare omnia:<sup>7</sup> at hoc Anaximandro populari & sodali suo non persuasit. is enim infinitatem naturæ dixit esse, è qua omnia gignerentur. post eius auditor<sup>8</sup> Anaximenes infinitū aëra, sed ea quæ ex eo orirentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia.<sup>9</sup> Anaxagoras materiā infinitam, sed ex ea particulas similes inter se, minutas: eas primū confusas, postea in ordinē adductas mente diuina.<sup>10</sup> Xenophanes paulo etiam antiquior, vnum esse omnia, neque id esse mutabile, & id esse deum, neque natum vnquam, & sempiternū, & conglobata figura.<sup>11</sup> Parmenides ignem, qui moueat terram, quæ ab eo formetur.<sup>12</sup> Leucippus plenum, & inane. Democritus huic in hoc similis, vberior in ceteris.<sup>13</sup> Empedocles hac peruulgata & nota quatuor.<sup>14</sup> Heraclitus ignem.<sup>15</sup> Melissus hoc quod esset infinitum, & immutabile, & fuisse semper, & fore.<sup>16</sup> Plato ex materia in se omnia recipiente mundum esse factum censet à Deo sempiternū.<sup>17</sup> Pythagorei ex numeris & mathematicorū initiis proficisci volent omnia.<sup>18</sup> Ex his eliget vester sapiens vnum aliquem, credo, quem sequatur: ceteri tot viri & tanti repudiati ab eo condemnatique discedent.<sup>19</sup> Quamcunque verò sententiam probauerit, eam sic animo cōprehensam habebit, vt ea quæ sensibus: nec magis approbavit nunc lucere, quàm, quoniā Stoicus est, hunc mundum esse sapientem, habere mentem, quæ

Et se & ipsum fabricata sit, Omnia moderetur, moveat, regat. erit persuasum etiam, solem, lunam, stellas omnes, terram, mare, deos esse, quod quædam animalis intelligentia per omnia ea permeet & transeat: <sup>20</sup> fore tamen aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret. Sint ista vera (vides enim iam me fateri aliquid esse veri) comprehendi ea tamen, & percipi nego. <sup>21</sup> cum enim tuus iste Stoicus sapiens syllabatim ista dixerit, veniet illud <sup>22</sup> flumen orationis aureum fundens Aristoteles, qui illum desipere dicat: neque enim ortum esse unquam mundum, quod nulla fuerit nouo consilio initio tam præclari operis inceptio: & ita eum esse undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum existere, ut hic ornatus unquam dilapsus occidat? Tibi hoc repudiare, illud autem superius, sicut caput & famam tuam, defendere necesse erit: mihi ne ut dubitem quidem relinquatur? ut omit-tam leuitatem temerè assentientium, quanti libertas ista aestimanda est, non mihi necesse esse quod tibi est? <sup>23</sup> Cur Deus omnia nostri causa cum faceret (sic enim vultis) tantam vim natricum viperarumque fecerit? cur mortifera tam multa perniciofa terra marique disperserit? Negatis hoc tam politè, tamque subtiliter effici potuisse sine diuina aliqua solertia: cuius quidem vos maiestatem deducitis vsque ad apum formicarumque perfectionem: ut etiam inter deos <sup>24</sup> Myrmecides aliquis minorum opusculorum fabricator fuisse videatur.

¶ 1 Confirmationi (quæ deinceps sequitur) eadè thesis proposita est, quæ refutationi fuit, Sapientem nihil illorum (quæ in philosophia tractantur) scire: quod

quidem non solum verum est, sed etiam longè verissimum. Perfecta enim scientia, quæ fit ex certis & indubitatis rerum causis, in solo Deo inueniri potest, in homine nullo potest: quia is solus rerum omnium causas accuratè nouit, qui causas rerum omnium procreauit: & artes veterum philosophorum (qui se sapientes profitebantur) opinione tantum, non vlla scientia continentur. Summa confirmationis vniuersæ fit ex loco distributionis à partibus ad totum. Nihil in physica philosophia, nihil in morali, nihil in dialectica à sapiente percipi potest: nihil igitur in philosophia omnino perceptum sapiens habet.

<sup>2</sup> Initium confirmationis ducitur ab antiquissima & prima parte philosophiæ: cui vna cum physicis artibus mathematicæ disciplinæ subiiciuntur, quia veteres physici etiam Mathematici fuerunt. Primus locus est ab adiunctis. In physicis res sunt controuersæ, & in Mathematicis principia non probata sumuntur: nulla igitur in his vera & percepta cognitio est.

<sup>3</sup> Initia Mathematicorum sunt definitiones, postulata, & communes sententiæ, quæ tanquam per se satis illustres sunt, in principio sumuntur, non probantur: qualia sunt hæc apud Euclidem, σημειων εστιν, ο μεγος δυδεν: Punctum est cuius nulla pars. επιφανεια εστιν ο μικρος η, πλατος μόνον εχει: Extremitas quæ longitudinè & latitudinem tantum habet. γραμη δε μίκο: απλατες: Linea verò longitudo nõ lata.

<sup>4</sup> Dilemma est fallax. Si sapiens iureiurando affirmet aliquid in geometria, priusquam rationes cognouerit, mentietur: si cognitis rationibus tamen non credat, reliquæ philosophiæ non credet.

<sup>5</sup> Incipit enumerare physicorum sententiæ de principiis, inter se diuersas, ut doceat in tanta varietate nihil esse certum sapienti quod sequatur: quod argumentum apud Christianos homines, & sacris literis informatos plurimum valere debet ad confirmandam ignorantiam veterum physicorum, quorum sententiæ declarant illos in physicis elementis & primis rerum causis planè cæcos fuisse: ut nec vnde res quæque primùm creati cœperint, nec quibus causis naturæ cursus regatur, intelligere, aut verbis exprimere potuerint. Itaque licet Academicus sapiens in physicorum disciplinis interdum probabile aliquid inueniat, quod sequatur: procul tamen abe-rit à scientia & accurata cognitione causarum, quæ latent in tenebris, & ut antè diximus, soli Deo certa scientia notæ sunt: fatisque habebit, si de elementis, de animalibus, de stirpibus, de cæteris naturæ generibus non per causas, quæ rem quæque cõstituant, sed per accidentias & adiunctas qualitates physicorum more philosophetur.

<sup>6</sup> Thales Milesius princeps Ioniciæ philosophiæ principium rerum dixit aquam, quod animalium generatio sit humida: nec solum stirpes in terris, sed etiam in cælo stelle pascantur humoribus, in quo sequitur illud Homericum,

*Oceanus, de quo primùm sunt omnia nata.*

& antiquum morem iurandi per stygem, id est aquam, quasi hæc antiquissimùm principium & diuinissimum fuerit. Lege Aristotelem in Metaphy.

<sup>7</sup> Anaximander Milesius non aquam, sed infinitam quandam naturam à terra, aqua, aere, igne diuersam censuit esse principium & primam causam infinitæ procreationis, ex qua innumerabiles mundi nascerentur. Atque hic philosophus de causis physicis tantum materiam attingit, sicuti Thales, & efficientes causas prætermisit.

<sup>8</sup> Anaximenes item Milesius, Euristrati filius, Anaximadri discipulus, aërem voluit esse initium è quo nascerentur omnia, duabus causis efficiētibus adhibitis, quæ aeream ipsam materiam formarent atqueingerēt: ut ex aere rarefacto gigneretur ignis, ex aere densò ventus, aqua, terra, nubes, lapides, & animantes crearentur.

<sup>9</sup> Anaxagoras, Aegæbuli filius Clazomenius cõmentus est ομοιομετρίαν, id est similitudinem partium, veluti syluam & materiam rerum omnium gignedarum.

Is enim censuit in singulis rebus particulas inesse similes infinitas, ex quibus compo-  
sita sunt, resque omnes gigni & interire congregatione & seiunctione particularum  
similium. Quemadmodum etiam scripsit Lucretius:

*Ossa videlicet è paucillis atque minutis  
Ossibus, & sic de paucillis atque minutis  
Visceribus gigni viscus, sanguinque creati,  
Sanguinis inter se multis coeuntibus guttis.  
Atque id Anaxagoras sibi sumit, vt omnibus omnes  
Res putet immixtas rebus latitare, sed illud  
Apparere vnum, cuius sint plurima mixta,  
Et magis in promptu, primaque in fronte locata.*

Principio autem sui operis de mente diuina ita scripsit. Omnia simul erant, deinde ac-  
cessit mens, eaque composuit, & in ordinem redegit.

10 Xenophanes Colophonius ponit vnum principium vniuersum, neque fini-  
tum, neque infinitum, neque mutabile, neque immutabile, cuius substantia ro-  
tunda globosaque sit, quem deum nominat, qui nihil habeat commune cum homi-  
nibus, totum cernat, totum audiat, neque tamen respiret, simul sit omnia, mens, pru-  
dentia, aternitas.

11 Parmenides Xenophanis discipulus, quem Aristoteles in physicis de vno  
ente malitiose calumniatur, duas physicas rerum causas statuit, ignem & terram, &  
illum quidem opificis, hunc verò materiae rationem habere censuit, vt Aristoteles  
docet in Metaphysicis.

12 Vniuersum, si credimus Leucippo, alicubi plenum est, alicubi inane: in ple-  
no, sunt corpora: in vacuo & inani, liberius vagantur atomi, quae materiae probet gi-  
gnendis rebus. Democritus Leucippo astipulatus plenum vocat ens, & inane, non ens:  
cuius sententia est, Omnia fieri fortuita concursione atomorum, in quibus tres sunt  
differentiae, figura, ordo, & situs.

13 Empedocles elementa quatuor adhibuit, ignem, aerem, aquam, terram,  
velut vniuersam & communem materiem omnium rerum, & duas causas efficietes,  
amicitiam & litem: illam boni, hanc mali: cuius versus sunt apud Laertium:

*Ζεύς ἄργυρος, ἤριος φερέσβιος, ἠδ' αἰθωνός,  
Νῆσις θ' ἢ δακρυόεις ἐπιπυροῖ ὄμμα βρότειον.*

Hoc est,

Iuppiter albus, & alma soror Iuno, atque potens Dis,  
Et Nestis, lachrymis hominum quae lumina complet.

Iouem, ignem: Iunonem, terram: Aidoneum, aerem: Nestin, aquam dicit.

14 Ignis Heraclito videtur esse principium, vnde omnia quae sint, adhibita  
raritate aut densitate consent, quod calor sit fons vitae & artifex omnium rerum.

15 Hoc Melissi principium Deus est, qui virtute infinitus est, & natura im-  
mutabilis & aternus.

16 Aristoteles libro primo de caelo hoc Platoni falso tribuit, & Aristotelem  
sequutus Cicero. Plato enim mundum à Deo creatum facit, & quidem sic, vt nullo  
modo dissolui queat, nisi ab eo à quo est colligat, quae admodum in Timaeo scriptum est.

17 Haec Pythagorica sunt symbola, quorum similitudo magis intelligenda  
est, quam veritas.

18 Declarat arrogantiam reliquorum philosophorum, qui cum inter se de mundo  
& Deo non minus pugnaciter certent, quam Centauri & Lapithae, vnusquisque  
tamen eam philosophiam quam profitetur, certam, firmam, veram, comprehensam  
esse, & haberi vult.

19 Comparatio similibus illustratur exemplis & decretis Stoicis, quae illi ve-  
rissima & certissima credunt.

20 Stoici putant mundum igne deflagaturum, quia astrorum ignis & aethe-  
ris flamma consumit: ex quo euenturum aiunt, vt ad extremum omnis mundus igne  
scat: cum humore consumpto neque terra ali poterit, neque remeabit aer, cuius or-  
tus aqua omni exhausta esse non possit: ita relinqui nihil praeter ignem, à quo rur-  
sum animante & Deo renouatio mundi fiet, idemque ornatus orietur. Cicero 2. de  
natura deorum.

21 Opponit contraria Aristotelis decreta Stoicorum decretis: Stoici enim  
mundam & ortum & interitum censent, quorum vtrumque Aristoteli plane rudi-  
culum est: itemque Stoici mundum caelesti prouidentia regi credunt, quod Aristote-  
les, Aristoteleique multi philosophi nimis impie derident. Licet enim Aristoteles in  
tam multis & diuersis mundi partibus mirabilem quandam concentum, & pro rata  
proportionem singularem consensum esse dixerit, nullum tamen tantae harmoniae au-  
thorem, moderatorem, seruatorem definiuit, sed singulis orbibus caelestibus pro-  
prios motores attribuit, quorum supremus orbem summum, velut figulus rotam mo-  
ueat, ceteros orbis inferiores nihil ad se pertinere putet: cuius doctrina non solum  
falsa est, verum etiam impia, & Christianis decretis, id est sanctissimis & verissimis  
repugnans.

22 Id Cicero non scripsit, quod sic reuera sentiret: sed quod, vt Plutarchus  
ait, laudum vel alienarum prodigus esset.

23 Irridet ex Peripateticorum sententia fatidicam illam pronam à Stoicis in-  
ductam, qui aiunt deos ita prouidere rebus humanis, vt omnia quae in terris gignantur,  
ad vsum hominum procreauerint, homines autem mundi gratia. Quam senten-  
tiam Peripatetici confutant exemplis & effectis, quia Deus ille perniciosas res homi-  
ni procreauerit: sed tamen nihil est homini tam pestiferum, vnde commoditas ali-  
qua non percipiatur.

24 Myrmecides statuarius nobilis quadrigam ex ebore, quam musca inte-  
geret alis, fecit, & nauem quam apicula pennae absconderet. Plinius cap. 21. lib. 7.

*Negas sine Deo posse quicquam. Ecce tibi è trans-  
uerso Lampfacenus Strato, qui det isti Deo immunitatem  
magni quidem muneris: sed cum sacerdotes deorum va-  
cationem habeant, quanto est aequius habere ipsos deos?  
Negat opera deorum se vti ad fabricandum mundum.  
quaeunque sint, docet omnia esse effecta natura, nec,  
vt ille, qui asperis & leuibus, & hamatis vncinatis-  
que corporibus concreta haec esse dicat interiecto inani:  
somnia censet haec esse Democriti, non docentis, sed  
opinantis. Ipse autem singulas mundi partes persequens,  
quicquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum*

esse docet ponderibus & motibus.<sup>3</sup> sic ille & Deum opere magno liberat, & me timore. quis enim potest, cum existimet à Deo se curari, non & dies & noctes diuinum numē horrere? & si quid aduersi acciderit (quod cui non accidit?) extimescere ne id iure euenerit? Nec Stratonem tamen assentior: neque verò tibi. modò hoc, modò illud probabilius videtur.<sup>4</sup> Latent ista omnia Luculle crassus occultata & circumfusa tenebris, ut nulla acies humani ingenij tanta sit, quæ penetrare in calum, terram intrare possit.<sup>5</sup> Corpora nostra non nouimus: qui sint situs partium, quam vim quæque pars habeat, ignoramus. Itaque medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut ea viderent: nec eo tamen aiunt<sup>6</sup> Empiricus notiora esse illa, quia possit fieri ut patefacta & detecta mutantur. Sed ecquid nos? eodem modo rerum naturas persequere, aperire, diuidere possumus, ut videamus, terra penitusne defixa sit, & quasi radicibus suis hæreat, an media pendeat? Habitari ait<sup>7</sup> Xenophanes<sup>8</sup> in luna, eamque esse terram multarum urbium & montium. Portenta videntur: sed tamen neque ille qui dixit, iurare posset uia se res habere, neque ego.<sup>9</sup> Nonne etiã dicitis, esse è regione nobis, è contraria parte terra, qui aduersis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis? Cur mihi magis succensetis, qui ista non aspernor, quam eis qui cum audiunt, desipere vos arbitrantur? Nicetas Syracusius, ut ait Theophrastus, calum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet,<sup>10</sup> neque præter terram rem ullam in mundo moueri: quæ cum circum

axem se summa celeritate conuertat & torqueat, eadem effici omnia, quæ, si stante terra, calum moueretur. atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, sed paulò obscurius.<sup>11</sup> Quid tu Epicure? loquere. putas solem esse tantulum? Ego ne vobis quidem tantum. sed & vos ab illo irridemini: & ipsi illum vicissim eluditis. Liber igitur à tali irrisione<sup>12</sup> Socrates, liber Aristochius, qui nihil istorum sciri putat posse.<sup>13</sup> Sed redeo ad animum & corpus. satisne tandè ea nota sunt nobis, quæ neruorum natura sit, quæ venarum? tenemusne quid animus sit? ubi sit? denique sitne, aut, ut<sup>14</sup> Dicaërcho visum est, ne sit quidem ullus? Si est, tresne partes habeat, ut<sup>15</sup> Platoni placuit, rationis, iræ, cupiditatis: an simplex vnusque sit? Si simplex,<sup>16</sup> vtrum sit ignis, an anima, an sanguis: an, ut Xenocrates, mens nullo corpore? quod intelligi quale sit, vix potest. & quicquid est, mortale sit, an aternum? nam vtraque in parte multa dicuntur. Horum aliquid vestro sapienti certum videtur: nostro, ne quid maximè quidem probabile sit, occurrit: ita sunt in plerisque contrariarum rationum paria momenta.<sup>17</sup> \* Sin agis verecundius, & me accusas, non quòd tuis rationibus nõ assentiar, sed quòd nullis: vincam animum, cuique assentiar, deligam: quem potissimum? quem? Democritum? semper enim, ut scitis, studiosus nobilitatis fuit. Urgebor iam omnium vestrum conuicio:<sup>18</sup> Tunc aut inane quicquam putes esse, cum ita cõpleta & conferta sint omnia, ut & quod mouebitur corporum, cedat, & quæ quidque cesserit, aliud illico subsequatur:<sup>19</sup> aut

atomos vllas, è quibus quicquid efficiatur, illarum sit dissimillimum, <sup>20</sup> aut sine aliqua mente rem vllā effici posse præclarant<sup>21</sup> & cum in vno mundo ornatus hic tam sit mirabilis, innumerabiles, supra, infra, dextra, sinistra, ante, post, alios dissimiles, alios eiusdē modi mūdōs esse? & vt nos nūc sumus ad Baulos, Puteolōsque videamus, sic innumerabiles paribus in locis esse, eisdem nominibus, honoribus, rebus gestis, ingenis, formis, ætatibus, eisdem de rebus disputantes? <sup>22</sup> & si nunc, aut si etiam dormientes aliquid animo videre videamur, imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere? <sup>23</sup> Tu verò ne ista adsciueris, neue fueris commentitiis rebus assensus. Nihil sentire est melius, quàm tā praua sentire. Non ergo id agitur, vt aliquid assensu meo comprobem. quæ tu vide ne impudenter etiam postules, non solum arrogāter: præsertim cum ista tua mihi ne probabilia quidem videantur. <sup>24</sup> nec enim diuinationē, quam probatis, vllam esse arbitror: fatūmque illud etiam, quo omnia contineri dicitis, contemno. ne ex ædificatum quidē hunc mundum diuino consilio existimo: atque haud scio an ita sit. <sup>25</sup> Sed cur rapior in inuidiam? licetne per vos nescire quod nescio? an Stoicis ipsis inter se disceptare, mihi cum ius non licebit? Zenoni & reliquis ferè Stoicis æther videtur summus deus, mente præditus, qua omnia regantur. Cleanthes, qui quasi maiorū est gētium Stoicus, Zenonis auditor, Solem dominari, & rerum potiri putat. Itaque cogimur dissensione sapientum dominum nostrum ignorare: quippe qui nesciamus, Soli, an ætheri

seruiamus. Solis autem magnitudo (ipse enim hic radiatus me intueri videtur) admonet vt crebrò faciam mentionem sui. Vos verò huius magnitudinē quasi decem-  
\*peda\* (hinc enim me: quasi malis architectis mensuræ vestra nego hoc) permensi refertis. <sup>26</sup> Ergo credere dubium est, vter nostrum sit, leuiter vt dicam, verecundior? Neque tamē istas quæstiones physicorum exterminandas puto: est enim animorum ingeniorūque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatiōque nature. Erigimur, elatiores fieri videmur, humana despiciamus, cogitantēque supera atque caelestia, hæc nostra vt exigua & minima contēnimus. Indagatio ipsa rerū cum maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem. Si verò aliquid occurreret quod verisimile videatur: humanissima completur animus voluptate. <sup>27</sup> Quæret igitur hæc & vester sapiens, & hic noster: sed vester, vt assentiatur, credat, affirmet: noster, vt vereatur temerè opinari, præclarèque agi secum putet, si in eiusmodi rebus verisimile quod sit, inuenerit.

**¶ 1** Opponit rursus Stoicis contrariam Stratonis auctoritatem, qui negabat ope diuina factum esse mundum, deōsque ab omni munere feriari docebat à minori ad maius. Datur immunitas sacerdotibus, quanto æquius est dari diis ipsis: quæ cōparatio non solum captiosa est, sed indigna philosopho, qui stultissimè ad res expertes corporis ferias & immunitates sacerdotum transferat. Dei autem caelestis & omnipotentis actio in administratione mundi, rerūque omnium perpetua sempiternaque fuit, est, & erit: nec audiendus est impius Strato tam absurdè, ne dicam sceletrate, de natura diuina balbutiens, qui cum ait, omnia quæ sint, effecta esse natura, non intelligit hanc naturam Deum esse, à quo res omnes natæ, procreatæque sunt: sed naturam quandā falsam & cōmentitiā subiicit propter obscuritatē & ignorantiam diuinæ & caelestis nature, quæ est principium & prima causa, quæ suo verbo & nutu res omnes effecit.

**¶ 2** Locus est à dissimilibus. Democritus fortunam, Strato naturam causam rerum esse voluit. Ille ex atomis ordine, situ & figura distinctis, & fortuito inter se coherentibus res gigni & creari dixit. Hic quicquid fieret, naturalibus causis fieri, id est,

certis, & ad aliquem finem destinatis.

3 Sic Lucretius impius ait Physicæ artis scientiam discendam esse, vt pellatur mortis & religionis metus: vt si intelligant homines, nihil vi aut ope diuina fieri, definant cæleste aliquid numen formidare, ac venerari: sed Stoici longè secus ac melius docēt hac rerum naturalium contemplatione homines ad modestiā, pietatem, iustitiam, reliquāsque virtutes diligentius instrui, & vehementius excitari: & sacrae literæ (quæ continent arcana veritatis & religionis) ex operibus Dei, id est, rebus naturalibus Deum optimum maximum piè, sanctè & religiose colendum & prædicandum esse monent.

4 Reuertitur ad suam ἀκαταλήκην, quam, sicut antea, cōfirmat à causis, quia res sint nobis obscuræ.

5 Confirmatio physicae difficultatis ab inductione exemplorum.

6 Tria fuerunt genera medicorum: alii enim dicti sunt Empirici, ἀπὸ τῆς ἐμπερίας, id est, ab experientia, qui neglecta naturæ, aut morbi consideratione solam experientiam sequebantur. Alii dogmatici, qui neglecta experientia solam artis methodum ad curandos ægrotos adhibebāt. Alii rationales, qui corporis naturam diligenter intuebantur, & causas morborum, & vires medicamentorum, & cætera omnia, quæ vel ad tuendam sanitatem, vel ad profligandum morbum pertinent, non neglectis tamén exemplis & experimentis rerum singularium.

7 Xenophanes terrā quiescere dixit, quod in infinitum fundata esset. Thales, quod aquis supernataret. Anaximenes, quod sua latitudine in aere sustineretur. Empedocles, quod celerrima cæli conuersione suspensa in medio mundi teneretur. Anaximander, quod eius omnes partes æquè distarent à cælo. Lege Aristotelem libro secundo de cælo, capite 23.

8 Eodem modo Anaxagoras & Democritus lunam dicunt esse ignitum globum, qui in se campos, montes, valles, conuallēque complectitur, vt ait Plutarchus lib. 1. de decretis philosophorū. Huc etiā alludit Lucianus in libro de veris narrat.

9 Omnes penè antiqui authores confirmant antipodas esse, vt Strabo, Plinius, Pomponius Mela, Macrobius, Solinus, Cleomenes, excepto Lucretio, Augustino, & Lactantio: nec verò hoc ipsum mathematicis rationibus tantum, sed etiam itineribus & vestigiis cognoscitur: Hispanis siquidem Indi Antipodes sunt.

10 Philolaus etiam Pythagoreus dixit terram circa ignem moueri in obliquo circulo: Heraclides Ponticus, Herphantes Pythagoreus terram mouent instar rotæ cardine suo nixam. Nicolaus Copernicus hisce nostris temporibus veterem illā opinionē sequutus de motu terræ multos libros scripsit, vbi probat terra mota & cælo quiescente theoricam de stellis multò certiore tradi, quàm si secus accidat.

11 Apostrophe in Epicurum contra Mathematicos affirmantem solem tantulum esse, quantulum nobis videtur: de quo sic ait Epicureus Lucretius libro quinto,

*Nec nimio solis maior rota, nec minor ardor*

*Esse potest, nostris quàm sensibus esse videtur.*

12 Socrates apud Platonem nihil affirmat, & se omnium rerum rudem & inscium dicit, & contra eos disputat, qui se aliquid scire profitentur. Aristo Chius discipulus Zenonis induxit ἀδιαφορίαν, id est indifferentiam, quasi res inter se nihil differrent, vnde efficeretur nihil posse percipi.

13 Probat de homine nullā adhuc esse scientiā, quod incerta sit natura corporis humani, & de animo ipsi summi philosophi inter se dissentiant. De quibus Aristoteles libro 1. de anima, & Cicero Tusculana prima.

14 Dicearchus (vt ait Cicero) in eo sermone, quem Corynthis habitum tribus libris exponit doctorum hominum disputantium, primo libro multos loquentes fa-

cit, duobus Pherecratem quendam Phthiotam senem, quem ait à Deucalione ortū, differentem inducit nihil esse omnino animum, & hoc esse nomen totū inane, frustra & animalia & animantes appellari, neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia: vimque omnem eam qua vel agamus quid vel sentiamus in omnibus corporibus viuus æquabiliter esse fusam, nec separabilem à corpore esse: quippe quæ nulla sit, nec sit quicquam, nisi corpus vnum & simplex ita figuratum, vt temperatione naturæ vigeat & sentiat: ad quam impiam & damnatam Dicearchi sententiam Galenus videtur accedere, qui animam definit temperiem quandam cōsensu & conspiratione quatuor primarum qualitatum in viuentibus naturis constitutam, qua temperie sublata vita tollitur: Ita Galenus existimat animam à natura viuente separabilem non esse, sed vna cum corpore interire, imò verò ante corpus ipsum perire & dissolui: quæ opinio tam falsa est, quàm quæ falsissima.

15 Plato libro quarto de Repub. videtur affirmare tres esse animæ partes, vnā rationis, alteram iræ, tertiam cupiditatis, quod anima contrariis affectionibus mouetur: nihil autem secundum idem contraria recipit. sed nomine partium facultates intelligit, vt vna sit animæ substantia & simplex & indiuidua, cuius tres facultates in diuersis corporis partibus exerceantur, ratio in capite, ira in corde, naturalis cupiditas in iecore.

16 Heraclito animus videtur esse ignis: Democrito aliquid igneum ex subtilissimis atomis concretū: Diogeni, aer: Hipponi, aqua: Critia, sanguis: Xenocrati, numerus seipsum mouens. Lege Aristotelem capite secundo libri primi de anima.

17 Confirmat ἐπιτομήν academicam in physicis quæstionibus: & dialogis vnum instituit Stoici alicuius philosophi cum Democritico philosopho disputatis & alterantis de summa naturalis philosophiæ.

18 Protopopœia est Stoici philosophi Democritica physicae artis principia reprehendentis inane & atomos. Inane confutatur duobus modis: vno à contrariis, plena sunt omnia, nihil igitur inane. altero à causa motum adiuuante. Corpora corporibus cedunt in motu: non igitur opus est inani.

19 Refellit atomos Democriti à repugnantibus.

20 Tertio loco refellit atheismum, item à repugnantibus.

21 Quarta refutatio de innumerabilibus mundis ab absurda similitudine.

22 Quinta refutatio de ratione intelligendi à Democrito stultè conficta, qui putabat imagines intrinsecus in animos nostros irrumpere per corporeas atomos, vnde gignerentur simulachra rerum omnium.

23 Hactenus Stoicus inuectus est in Democriticum philosophum, qui ne sapientior aliis philosophis videatur, multis errorum vitiis insimulatur & damnatur: vt de diuinatione, de fato, de fabrica mundi, vnde Cicero concludit nullam esse legitimam causam, cur sapiens Stoicis potius, quàm aliis philosophis assentiat.

24 Sic Cicero libro secundo aduersus diuinationem disserit, cum esset libro primo à Quinto fratre mirum in modum laudata & defensa patrocinio Stoicorum.

25 Confirmatio est à maiori ad minus. Stoici inter se pugnant, mihi ab his dissentire non licebit? Repugnantiæ autē Stoicorū declarantur exemplis specialibus.

26 Concludit ex tot controuersis Physicorum lubricum & difficilem assensum sapientis, sumamque difficultatem naturalis scientiæ: cuius tamen studium & inquisitionem magnopere commendat ab adiuncta pulchritudine cōtemplationis, & mirifica delectatione ingenii & mentis in contemplandis operibus naturæ.

27 Dissimilitudo inter sapientem Stoicum & Academicum à variis effectis.

1 Veniamus nunc ad bonorum malorumque notionē.

sed paululum antè dicendum est. Non mihi videntur considerare, cum physica ista valde affirmât, earum etiã rerum authoritatem, si quæ illustriores videantur, amittere. non enim magis assentiuntur, neque approbant lucere nunc, quàm cum cornix cecinerit, tum aliquid eam aut iubere, aut vetare: nec magis affirmabunt signum illud, si erunt mensi, sex pedum esse, quàm solem, quem metiri non possunt, plusquã duodeuiginti partibus maiorem esse quàm terram. <sup>2</sup> Ex quo illa conclusio nascitur: si, sol quantus sit, percipi non potest, qui ceteras res eodem modo quo magnitudinem solis approbat, is eas res non percipit. Magnitudo autem solis percipi non potest. qui igitur id approbat, quasi percipiat, nullam rem percipit. <sup>3</sup> Responderint posse percipi quantus sol sit: non repugnabo, dummodo eodem pacto cetera percipi comprehendique dicât. Nec enim possunt dicere aliud alio magis minùsue comprehendi: quoniam omnium rerum vna est definitio comprehendendi. <sup>4</sup> Sed quod cæperam, quid habemus in rebus bonis & malis explorati? nempe fines cõstituendi sunt, ad quos & bonorũ & malorũ summa referatur. Qua de re est igitur inter summos viros maior dissesio? & omitto illa quæ relicta iã videntur: & Herillum, qui in cognitione & scientia summũ bonum ponit: qui cum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo disenserit, & quàm non multum à Platone <sup>6</sup> Megarici, quorum fuit nobilis disciplina: cuius, vt scriptum video, princeps Xenophanes, quem modò nominavi: deinde eũ secuti Parmenides & Zeno: itaque ab his Eretriaci

philosophi nominabantur. Post Euclides Socratis discipulus Megareus: à quo iidem illi Megarici dicti, qui id bonum solum esse dicebant, quod esset vnum, & simile, & idem semper. hi quoque multa à Platone. A Menedemo autem, quod is Eretrias fuit, Eretriaci appellati: quorum omne bonum in mente positum, & mentis acie, qua verum cerneretur. Illis similia, sed opinor explicata vberius & ornatus. Hos si contemnimus, etiam abietos putamus illos, certè minus despicere debemus. Aristonem, qui cum Zenonis fuisset auditor, re probauit ea, quæ ille verbis: nihil esse bonum, nisi virtutem: neque malum, nisi quod virtuti esset contrarium: in medijs ea momenta quæ Zeno voluit, nulla esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moueri: quæ ἀγαθὸς ἀπορία ab ipso dicitur. Pyrrho autem, ea ne sentire quidem sapientem, quæ ἀπίστω nominatur.

<sup>1</sup> Proponit se dicturum de secunda parte sapientiæ, quæ est de vita & moribus: sed tamen quasi imprudens aliquid sit oblitus, regreditur ad physicã, vt irrideat naturalem diuinationem probatam à Stoicis, & theorema de solis magnitudine. argumentum est à comparatione parium.

<sup>2</sup> Argumentum est à paribus. Syllogismus connexus primi modi plenus & integer.

<sup>3</sup> Occupat quæ dici possunt ad assumptionẽ syllogismi, nihilque perfecta cognitione posse comprehendi docet ex vi definitionis, quod vna sit definitio comprehensionis, quæ æqualiter omnibus rebus subiectis conueniat.

<sup>4</sup> Iterat propositam quæstionem de moribus, totãque hęc disciplinam incertam esse contendit, quod inter philosophos sit maximè controuersa: quorum sententiæ (vt omnes summam complectamur) bipartitæ diuiduntur in eas quæ exploratæ sunt à scholis, & in eas quæ à magnis philosophis retentæ defensæque sunt. Rursus exploratæ tres sunt: prima Herilliorum, secunda Megaricorum, siue Eretriacorum, tertia Aristoneorum, siue Pyrrhoneorum, quas Cicero præteritione quadam cursim & breuiter exponit.

<sup>5</sup> Prima secta Herilliorũ ab Herillo Carthaginẽsi fluxit, qui (vt ait Laetius) summũ bonũ hominis interdũ vult esse scientiam, vt omnia referantur ad bene viuendum, ne ignorantia deiiciamur: scientiam autem esse habitum ex comprehensis & impressis visis, qui quidem verbis explicari nequeat: interdum verò dicit nullum

esse finem bonorum, nihilque inter virtutem & vitium interesse, cuius libri breues quidem fuerunt, sed succi ac sententiæ pleni, in quibus disputabat aduersus Zenonem.

6 Secunda secta Megarenfis appellatur ab Euclide Megarenfi, vel Eretriaca à Menedemo Eretriaco, quæ censuit vnum solum esse bonum, quod esset vnum & simile, & idem, & semper, qualis est solus Deus, cum quo cæteræ res collatæ tantum vmbriam quandam boni præse ferunt, non veram & expressam speciem: Socrates autem apud Platonem sæpe differit Deum esse ipsum bonum, in cuius adeptione perfectæque contemplatione, beata hominis vita consistit, cum animus vinculis corporis liberatus in celo Deum contemplatur, eiusque perfecta sapientia perfruitur. Vides igitur vt Megarici à Platone non discesserint in quaestione de summo bono.

7 Tertia secta fuit Aristoneorū & Pyrrhoneorū ab Aristone & Pyrrhone: Aristoteles summum bonum definit à διαφορῶν, id est indifferentiam, vt si quis promiscuè & indifferenter inter virtutem & vitium vixerit, nulla habita huius vel illius ratione: & sapientem præclaro histrioni similem esse ait, qui siue Thersita, siue Agamemnonis personam sumit, vtrunque decorè & aptè representat. Pyrrho Eliensis ἀπορῶν, id est, vacuitatem affectuum summum bonum statuit, vt sapiens omni perturbatione & affectu liber nihil appetat, nihil fugiat, nec hoc potius quàm illud sequatur, sed in omnibus rebus indifferenter, & sine vilo affectu se habeat: cuius quidem philosophi vita præceptis & decretis consentanea fuit, vt docet Laertius lib. 9.

1 Has igitur tot sententiâs omittamus: hæc videamus, quæ nunc diu multumque defensa sunt. 2 Alij voluptatem finem esse voluerunt: quorum princeps Aristippus, qui Socratem audierat, vnde Cyrenaici: post Epicurus, cuius est disciplina nunc notior, neque tamen cum Cyrenaicis de ipsa voluptate consentiens. Voluptatem autem & honestatem fines esse Callipho censuit: vacare omni molestia Hieronymus: hoc idem cum honestate Diodorus. ambo hi Peripatetici. Honestè autem viuere, fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet, & vetus Academia censuit, vt indicant scripta Polemonis, quem Antiochus probat maximè: & Aristoteles, eiusque amici nunc proximè videntur accedere. Introducere etiam Carneades non quò probaret, sed vt opponeret Stoicis, summum bonum esse, frui iis rebus quas primas natura conciliauisset. Honestum autem quod ducatur à conciliatione naturæ, Zeno statuit finem esse bo-

norum, qui inuentor & princeps Stoicorum fuit. Iam illud perspicuum est, omnibus finibus iis bonorum, quos exposui, malorum fines esse contrarios. 3 Ad vos nunc refero, quem sequar, modò ne quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat, quemlibet, modò aliquem. nihil potest dici inconsideratius. cupio sequi Stoicos: licetne? Omitto per ipsum Aristotelem, meo iudicio in philosophia propè singularem: per ipsum Antiochum, qui appellabatur Academicus: erat quidem, si per pauca mutauisset, germanissimus Stoicis. Erit igitur res iam in discrimine. 4 nam aut Stoicus constituatur sapiens, aut veteris Academia. vtrunque non potest: est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio. nam omnis ratio vitæ diffinitione summi boni continetur: de qua qui dissident, de omni vitæ ratione dissident. Non potest igitur vterque sapiens esse, quoniam tãtopere dissentiunt: sed alter. si Polemoneus, peccat Stoicus rei falsè assentiens. vos quidem nihil dicitis à sapiente tam alienum esse. sin vera sunt Zenonis: eadem in veteres Academicos Peripateticosque dicenda. \* Hic igitur neutri assentiens, si nunquam, vter est prudetior? Quid, cum ipse Antiochus dissentit quibusdam in rebus ab iis quos amat, Stoicis, nonne indicat non posse illa probanda esse sapienti? Placet Stoicis, omnia peccata esse paria: at hoc Antiocho vehementissimè displicet. liceat tandem mihi considerare vtram sententiam sequar. 6 Præcide inquit, statue aliquando quidlibet. quid? quæ dicuntur quidem, & acuta mihi videntur in vtrunque partem, & paria:

nōne caueam ne scelus faciam? Scelus enim dicebas esse Luculle, dogma prodere. Contineo igitur me, ne incognito assentiar: quod mihi tecum est dogma commune.

<sup>7</sup> Ecce multo maior etiam dissensio. Zeno in vna virtute positam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatā, sed non beatissimā. Deus ille, qui nihil cēsuit deesse virtuti. homuncio hic, qui multa putat præter virtutē homini partim chara esse, partim etiam necessaria.<sup>8</sup> Sed ille vereor ne virtuti plus tribuat, quàm natura patiatur, præsertim Theophrasto multa disertè copioseque dicente.<sup>9</sup> Et hic metuo ne vix sibi constet: qui cum dicat esse quædā & corporis & fortunæ mala, tamen eum qui in his omnibus sit, beatum fore censet, si sapiens sit.<sup>10</sup> Distrabor: tum hoc mihi probabilius, tum illud videtur: & tamen nisi alterutrum sit, virtutem iacere planè puto.<sup>11</sup> Verùm in his discrepāt. Quid illud? in quibus consentiunt, num pro veris probare possumus, Sapiētis animum nunquam neque cupiditate moueri, neque letitia efferri? Age, hæc probabilia sanè sint: num etiam illa, Nunquam timere, nunquam dolere? Sapiētsne non timeat? nec, si patria deleatur, non doleat? satis durum: sed Zenoni necessarium: cui præter honestū nihil est in bonis.<sup>12</sup> tibi verò Antioche minimè: cui præter honestatem multa bona, præter turpitudinē multa mala videntur: quæ & venientia metuat sapiens necesse est, & venisse doleat. Sed quæro, quando ista fuerint ab Academia vetere decreta, vt animum sapiētis commoueri & conturbari negarent?<sup>13</sup> Mediocri-

tates illi probabāt, & in omni permotione naturalē volebant esse quendam modum.<sup>14</sup> Legimus omnes Crantoris veteris Academici de luctu: est enim non magnus, verùm aureolus, & vt Tuberoni Panætius præcipit, ad verbum ediscendus libellus.<sup>15</sup> Atque illi quidem etiam vttiliter à natura dicebant permotiones istas animis nostris datas, metū cauēdi causa, misericordiam aegritudinēque clementiæ: ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant: rectè, secūsne, aliàs viderimus. Atrocitas ista quidem tua quo modo in veterem Academiam irruerit, nescio.

<sup>1</sup> Transiit à reiectis & explosis philosophorum de beata vita sententiis ad tentas & defensas, quas quidem Tusc. 5. partitur in simplices & mixtas, & simplices in quatuor genera: sed nunc sublata luce diuisionis duntaxat eas enumeratione complectitur.

<sup>2</sup> Aristippus summum bonum censet esse in voluptate corporis, quòd omne animal simulatque natum est, voluptatem appetit, vt summum bonum: dolorēque fugit, vt summum malum. Illa autem indolentia & doloris vacuitas (quam tuetur Epicurus) non videtur Cyrenaicis voluptas, neque priuatio voluptatis dolor, quia voluptas & dolor versantur in aliquo motu suauis aut aspero. Placet autē Aristippo eum esse beatum & sapientem, non qui sit in perpetuis voluptatibus, sed qui maiore ex parte his perfruatur.

<sup>3</sup> Communicatio est cum aduersariis, & confirmatio Academicæ ἀκαδημαϊκῆς à differentibus philosophorum testimoniis & decretis.

<sup>4</sup> Probat à fine summam philosophorum inter se dissensionem. Syllogismus est simplex primi generis.

<sup>5</sup> Aliud argumentum à dissimilibus, quæ sunt causæ cur Academicus sapiens assensum retineat.

<sup>6</sup> Occurrit huic obiectioni, Sapiēs eliget de multis quilibet: & refellit à causis efficientibus ἐποχῆν, & à testimonio Luculli.

<sup>7</sup> Indicat differentiam inter Antiochum & Zenonem de summo bono, quæ accuratius explicatur lib. 5. de finib. & horum philosophorum contraria argumenta inter se comparat ad probandam difficultatem, vel potius temeritatem alicui rei assentiendi.

<sup>8</sup> Argumentum Antiochi contra Zenonem ducitur à testimonio Theophrasti, qui in libro de beata vita disputat, quam obrē is qui torqueatur, aut crucietur, beatus esse non possit: in eo etiam libro putatur dicere beatam vitam in rotam non ascendere, & in Calisthene suo laudauit illam sententiam,

Vitam regit Fortuna, non Sapientia. Cic. Tusculana quinta.

<sup>9</sup> Argumentum est Zenonis contra Antiochum & veteres Academicos à repugnantibus.

10 Conclusio ancipitis deliberationis ad retinendam *ἑσθη*.

11 Transit à differentia ad similitudinem doctrinæ, quæ est inter Zenonem & veteres Academicos, qui eodem modo sapientem definiunt liberum & vacuū ab omni perturbatione, cupiditate, lætitia, timore, molestia: quod tamen de sapiente cogitare (vt omni prorsus careat affectu) difficile est.

12 Apostrophe in Antiochum non satis congruenter Academicorum decretis de persona sapientis philosophantem, quia Academici non prorsus adiununt affectus sapienti, sed in eo mediocres & moderatos esse volunt.

13 Virtus moralis, vt ait Aristoteles secundo Ethico, est habitus voluntarius in mediocritate positus, ea quæ ad nos refertur, ratione sic reclus, vt vir prudens præscripserit. Mediocritas autem in moderandis perturbationibus vel actionibus cernitur, vt hæc neque modum transeant, neque ab eo deficiant: sicut etiam præclare dicit Horatius,

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*

*Quos vltra citràque nequit consistere rectum.*

14 Confirmatio à testimonio Crantoris Solensis, qui poemata quædam scripsit. Laudatur eius liber, quem de luctu edidit, vt ait Laertius libro quinto.

*Cic. Tuscul. 4.*

15 Declarat ex Academicorum sententia vtilitatem affectuū in homine, quorum talis est oratio: Primum multis verbis iracundiam laudant: eorum fortitudinis esse dicunt: multoque & in hostem, & in improbum ciuem vehemētiore iratorum impetus esse. Leues autem ratiunculas eorum qui ita cogitent, Præliū rectum est hoc fieri, cōuenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. Hæc vllam habent vim, nisi ita excanduit fortitudo? Nec verò de bellatoribus solum disputant, impetia seueriora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modò accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiæ. Quæ etiam si non adfit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur, vt auditoris irā oratoris incēdat actio: virū denique videri negant, qui irasci nesciat, eamque quam lenitatem nos dicimus, vitioso lenitudinis nomine appellant. Nec verò solum hanc libidinem laudant: (est enim ira, vt modò definiui, vlciscendi libido) sed illud ipsum genus vel libidinis, vel cupiditatis ad summam vtilitatem esse dicunt à natura datum.

<sup>1</sup> Illa verò ferre non possum, non quòd mihi displiceant: sunt enim Socratica pleraque, mirabilia Stoicorū quæ *παράδοξα* nominantur: sed vbi Xenocrates, vbi Aristoteles ista tetigit? Hos enim quasi eosdem esse vultis. illi vnquam dicerent<sup>2</sup> sapientes solos reges? solos diuites? solos formosos? <sup>3</sup> omnia quæ vbiue essent, sapientis esse? <sup>4</sup> neminem Consulem, Prætorem, Imperatorem, nescio an ne quinqueuirum quidem quenquam nisi sapientem? postremò, solum ciuem, solum liberū? insipientes omnes, peregrinos, exules, seruos, furiosos? Denique scripta Ly-

curgi, Solonis, <sup>5</sup> duodecim tabulas nostras, non esse leges? ne vrbeis denique, aut ciuitates, nisi quæ essent sapientium? <sup>6</sup> Hæc tibi Luculle, si es assensus Antiocho familiari tuo, tam sunt defendēda, quàm mænia: mihi autē bono modo tantum, quantum videbitur. <sup>7</sup> Legi apud Clitomachum, cum Carneades, & Stoicus Diogenes ad Senatum in Capitolio starent, A. Albinum, qui tum <sup>8</sup> P. Scipione & M. Marcello Consulibus Prætor esset, eum qui cum auo tuo Luculle Consul fuit, sanè doctum hominem, vt indicat ipsius historia scripta Græcè, iocātem dixisse Carneadi: Ego tibi Carneade Prætor esse non videor, quia sapiens non sum: nec hæc vrbs, nec in ea ciuitas. Tum ille, Huic Stoico non videris. Aristoteles, aut Xenocrates, quos Antiochus sequi volebat, non dubitasset quin & prætor ille esset, & Roma vrbs, & eam ciuitas incoleret. Sed ille noster est planè, vt supra dixi, Stoicus, perpauca balbutiens. Vos autem mihi veremini, ne labar ad opinionem, & aliquid adsciscam & comprobem incognitum: quod minimè vultis. <sup>9</sup> Quid consilij datis? testatur sepe Chrysippus treis solas esse sententias quæ defendi possint de finibus bonorum: circuncidit & amputat multitudinem. aut enim honestatem esse finem, aut voluptatem, aut vtrunque. nam qui dicant summum bonum id esse, si vacemus omni molestia, eos inuidiosum nomen voluptatis fugere, sed in vicinitate versari: quod facere eos etiam qui illud idem cum honestate coniungerent: nec multo secus eos qui ad honestatem prima natura commoda adiungerēt. <sup>10</sup> Ita

tres reliquit sententias, quas putet probabiliter posse defendi. Sit sanè ita. quanquam à Polemonis, & Peripateticorum & Antiochi finibus non facile diuellor: neque quicquã habeo adhuc probabilius. <sup>11</sup> Veruntamè video quàm suauiter voluptas sensibus nostris blandiatur. Laboro, vt assentiar Epicuro aut Aristippo. reuocat virtus, vel potius reprehendit manu: pecudum illos motus esse dicit: hominem iungit Deo. Possum esse medijs: vt, quoniam Aristippus, quasi animũ nullum habeamus, corpus solum tuetur: Zeno, quasi corporis simus expertes, animum solum complectitur: vt Calliphontem sequar, cuius quidem sententiam Carneades ita studiose defenditabat, vt eam probare etiam videretur. quanquã Clitomachus affirmabat, nunquam se intelligere potuisse, quid Carneadi probaretur. Sed si ipsum finẽ velim sequi, nonne ipsa seueritas, & grauis, & recta ratio mihi obuerfetur? tu, cum honestas in voluptate contemnenda consistat, honestatem cum voluptate, tanquam hominẽ cum bellua copulabis? <sup>12</sup> Vnum igitur par, quod depugnet, reliquũ est, voluptas cum honestate: de quo Chrysippo fuit, quantum ego sentio, non magna contentio. Alterum si sequare, multa ruunt, & maximè communitas cum hominum genere, charitas, amicitia, iustitia, reliquæ virtutes: quarũ esse nulla potest, nisi erit <sup>13</sup> gratuita. nam quæ voluptate, quasi mercede aliqua, ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis. <sup>15</sup> Audi contra illos qui nomen honestatis à se ne intelligi quidem dicant: nisi fortè quod

gloriosum sit in vulgus, id honestũ velimus dicere, fontẽ omnium bonorum in corpore esse: hanc normam, hanc regulam, hanc præscriptionem esse naturæ: à qua qui aberrauisset, eum nunquam quid in vita sequatur, habiturum. <sup>16</sup> Nihil igitur me putabis, hæc & alia innumerabilia cum audiam, moueri? tam moueor, quàm tu Luculle: neque me minus hominẽ, quàm te putaueris. Tantũ interest, quòd tu cum es commotus, acquiescis, assentiris, approbas, verum illud, certum, comprehensum, perceptum, ratum, firmum, fixum fuisse vis, deque eo nulla ratione neque pelli, neque moueri potes. Ego nihil eiusmodi esse arbitror, cui si assensus sim, non assentiar sepe falso, quoniam vera à falsis nullo discrimine separantur: præsertim cum iudicia ista dialecticæ nulla sint.

<sup>1</sup> Negat Academica esse pleraque paradoxa, quæ Stoici, & Antiochus ab Academia vetere profecta videri volunt. Argumentum ex dissimilibus, licet ista dicantur à Socrate, ab Academicis tamen non dicuntur.

<sup>2</sup> Cum Zeno sapientem appellaret regem, diuitem, formosum, consulem, prætorem, liberum, ceterisque similibus vocabulis, spectauit ea bonorum genera, quæ imprimis magna & mirabilia vulgo viderentur, qualia sunt fortunæ, & corporis, & animi, & quadam orationis magnificentia delectatus metaphoricis ad animum transtulit.

<sup>3</sup> Sic Socrates ratiocinabatur, Deorum sunt omnia: viri boni sunt deorum amici, & amicorum bona sunt communia: bonorum igitur virorum sunt omnia.

<sup>4</sup> Zeno dicebat neminem esse consulem nisi sapientem, quia omnes magistratus virtute & sapientia definiendi sunt, non opibus & diuitiis.

<sup>5</sup> Quia non essent ad perfectam sapientiæ formam descriptæ.

<sup>6</sup> Cõcludit sicut antea quid intersit inter Stoicũ & Academicũ à dissimilibus.

<sup>7</sup> Recitat duos iocos: vnum Albini Prætoris in Carneadem, alterum Carneadis in Diogenem Stoicum. Hi duo philosophi cum Critolao Peripatetico ab Atheniensibus ad Senatum populamque Romanum missi fuerant impetratum, vt multa remitteretur quingentorum talentorum, quam Athenienses fecerant propter Oropi vastationem, vt ait Gellius cap. 14. libri septimi.

<sup>8</sup> P. Scipio Nafica & M. Claudius Marcellus Consules fuerat anno vrbs conditæ quingentesimo nonagesimo nono. Aulus Posthumus Albinus & L. Licinius Lucullus anno sexcentesimo tertio. hic Albinus historiam Romanam Græcè scripsit, vt ait Cicero in Bruto.

<sup>9</sup> Cõmunicatio iteratur aptissima ad significandam difficultatem percipiendæ. h. ii.

di in tanta præsertim varietate opinionum, quas Chrysippus cæteris amputatis in tria genera concludere voluit.

<sup>10</sup> Conclusio Chrysippeæ diuisionis de summo bono ex remotione quarundam partium.

<sup>11</sup> Argumenta sunt ancipitis, & in varias partes diductæ deliberationis in questione de finibus, ad confirmandum lubricos assensus esse sapientum in tanta multitudine opinionum.

<sup>12</sup> Alterum argumētum est ancipitis deliberationis de voluptate & virtute, qualem Xenophon lib. primo de dictis Socratis scripsit obtigisse Herculi pubescenti, qui cum deligere vellet, quam viuendi viam esset ingressurus, dicitur abiisse in solitudinem, ibique diu ac multum dubitasse, cum duas vias cerneret, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius esset.

<sup>13</sup> Argumentum pro virtute contra voluptatem ducitur à fine & natura propria virtutis.

<sup>14</sup> Cic. lib. i. de legibus, Quid liberalitas, gratuita est, an mercenaria? si sine premio, benigna est & gratuita: si cum mercede, mercenaria.

<sup>15</sup> Argumentum voluptatis contra virtutem ab autoritate & testimonio Epicureorum.

<sup>16</sup> Concludit qualis sit Academicus sapiens in philosophia morali, & quid differat à Stoico.

<sup>1</sup> Venio enim iam ad tertiã partẽ philosophiæ. Aliud iudiciũ <sup>2</sup> Protagoræ est, qui putet id cuiq; verũ esse, quod cuique videatur: <sup>3</sup> aliud Cyrenaicorũ, qui præter per-motiones intimas nihil putat esse iudicij: aliud Epicuri, qui omne iudiciũ in sensibus, & in rerum notitiis, & in voluptate cõstituit. <sup>4</sup> Plato autem omne iudicium veritatis, veritatẽque ipsam, abductã ab opinionibus, & à sensibus cogitationis ipsius & mētis esse voluit. Num quid horum probat noster Antiochus? ille verò ne maiorum quidem suorum. vbi enim aut Xenocratem sequitur, cuius libri sunt de ratione loquendi multi, & multũ probati? aut ipsum Aristotelem, quo profectò nihil est acutius, nihil politius? à Chrysippo pedem nunquam. Quid ergo Academici appellamur? an abutimur gloria nominis? <sup>5</sup> aut cur cogimur eos sequi, qui inter se dissident? In hoc ipso, quod in elementis dialectici docent quo

modo iudicare oporteat, verum falsumne sit, si quid ita connexum est, vt hoc: Si dies est, lucet: quãta contentio est? Aliter Diodoro, aliter Philoni, Chrysippo aliter placet. Quid? cum Cleanthe doctore suo quã multis rebus Chrysippus dissidet? Quid? duo vel principes dialecticorum, Antipater & Archidemus opiniosissimi homines, nonne multis in rebus dissentiunt? <sup>6</sup> Quid me igitur Luculle in inuidiam, & tanquã in concionẽ vocas? & quidem, vt seditiosi Tribuni solent, occludi tabernas iubes? quo enim spectat illud, cum artificia tolli quereris à nobis, nisi vt opifices concitentur? qui si vndique omnes conuenerint, facile contra vos incitabuntur. Expro-mam primũ illa inuidiosa, quod eos omnes qui in concione stabunt, exules, seruos, insanos esse dicatis: deinde ad illa veniã, qua iam non ad multitudinẽ, sed ad vosmetipsos qui adestis, pertinent. <sup>7</sup> negat enim vos Zeno, negat Antiochus scire quicquã. Quo modo, inquires? nos enim defendimus etiam insipientem multa comprehendere: at scire negatis quenquam rem vllam, nisi sapientem: & hoc quidem Zeno gestu conficiebat. nam cum extensis digitis aduersam manum ostenderat, visum, inquebat, huiusmodi est: deinde cum paulum digitos contraxerat, assensus huiusmodi: tum cum planè compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat. qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod antè non fuerat, κατὰληψίη imposuit. Cum autem leuam manum admouerat, & illum pugnum arctè vehementerque cõpresserat, scientiam talem esse dicebat: cuius compotem,

nisi sapientē, esse neminem. Sed qui sapiens sit, aut fuerit, ne ipsi quidem solent dicere.<sup>8</sup> ita tu nunc Catule lucere nescis: neque tu Hortensi in tua villa nos esse. Num nimis hæc inuidiose dicuntur? Hæc tamen minus eleganter, illa subtilius. Sed quomodo tu, si comprehendi nihil posses, artificia concidere dicebas, neque mihi dabas, id quod probabile esset, satis magnam vim habere ad artes: sic ego nunc tibi refero, artem sine scientia esse non posse. An pateretur hoc Zeusis, aut Phidias, aut Polycletus, nihil se scire, cum in his esset tanta solertia? Quod si eos docuisset aliquis, quam vim habere diceretur scientia, desinerent irasci: ne nobis quidem succēserent, cum didicisset id tollere nos, quod nusquam esset: quod autem satis esset ipsis, relinquere. , quam rationem maiorum etiam comprobant diligentia: qui primum iurare ex sui animi sententia quenque voluerūt: deinde ita teneri, si sciens falleret, quod in scientia multa versaretur in vita: tum qui testimonium diceret, ut arbitrari se diceret etiam quod ipse vidisset: quæque iurati iudices cognouissent, ut ea non esse facta, sed ut videri pronūtiarēt.<sup>10</sup> Verum quoniam non solum nauta significat, sed etiam Fauonius ipse insurrat, nauigandi nobis Luculle tempus esse: & quoniam satis multa dixi, est mihi perorandū. Posthac tamen, cum hæc quæremus, potius de dissensionibus tantis summorum virorum differamus, de obscuritate nature, deque errore tot philosophorum, qui de bonis, contrariisque rebus tantopere discrepant, ut cum plus vno verū esse non possit, iacere necesse sit tot & tam nobiles

disciplinas, quàm de oculorū, sensuumque reliquorū mendacis, & de sorite, aut pseudomeno, quas plagas ipsi contra se Stoici texuerunt.<sup>11</sup> Tum Lucullus, Non moleste, inquit, fero nos hæc contulisse. Sæpius enim congregantes nos, & maximè in Tusculanis nostris, siqua videbuntur, requiremus. Optimè, inquam. sed quid Catulus sentit? quid Hortensius?<sup>12</sup> Tum Catulus, Egone, inquit? ad patris reuoluor sententiam: quam quidem ille Carneadeam esse dicebat: ut percipi nihil putem posse, assensurū autem non percepto, id est, opinaturum sapientem existimem, sed ita, ut intelligat se opinari, sciaturque nihil esse  
\* quod comprehendi & percipi possit: \* per ἐποχὴν illam omnium rerū comprobans, illi alteri sententiæ, nihil esse quod percipi possit, vehemēter assentior. Habeo, inquam, sententiā tuam, neque eā admodū asperror. sed tibi quid tandem videtur Hortensi? Tum ille ridens, tollendū teneo te, inquam. nam ista Academia est propria sententia. Ita sermone confecto Catulus remansit, nos ad nauiculas nostras descendimus.

<sup>8</sup> 1 Transitus à philosophia morali ad dialecticam tertiam partem sapientie, in qua Cicero disputat nullam inesse sapientiā, ex variis & dissidentibus veterum dialecticorum decretis: de Iudicio veritatis, & notitiis rerum quæ præcepta suprā docuimus à dialecticis institutis aliena esse, ad physicam de anima & animæ affectionibus tractationem propriè pertinere.

<sup>2</sup> Has ineptias Protagoræ Aristoteles refellit in Metaphysicis cap. 5. lib. 4. Nam si, ait, quod cuique videtur, id verum est, plerique autem res contrarias simul opinantur, accidit ut vtraque pars contradictionis vera simul esse possit, quo quidē nihil est in philosophia absurdius.

<sup>3</sup> Aristippus duos fontes instituit, intimam voluptatem & dolorem, unde oriatur omne iudiciū veritatis. Epicurus sensus internos vult esse integros & sanctos iudices, & notionēs à sensibus impressas, & voluptatem, id est lenem quendam motum quo sensus afficiuntur: ut quicquid hi iudices statuerint, id ratum, firmum, verum iudicetur.

<sup>4</sup> Verba sunt Socratis in Theeteto, An veritatē eo percipere possimus, quo h. iiii.

essentiam nõ percipimus? τ η. Non. s o c. Cuius autem quis veritate caret, huius scientiam vllam habet? τ η. Quomodo id fieri posset? s o c. In motionibus igitur sensuum scientia nõ est, in ratiocinatione tamen quæ circa illas versatur, inesse oportet: hac enim naturam rerum & veritatem attingere possumus, illis non possumus. τ η. Id perspicuum est.

5 Dialecticam Stoicorum insimulat vt incertam & variã à differentibus eorum decretis.

6 Hactenus docuit in artibus philosophiæ nullam inesse firmam κατὰ λη. ¶ IV & scientiam: & quia Lucullus conquestus erat hac ratione tolli artes, festiuè comparat eum seditioso Tribuno plebis, quasi opifices vrbanos in Ciceronè concitare volenti: alluditque ad furiosos Tribunos plebis, qui operarios homines promptos ad scelus & maleficium interim comparabant, vt in comitiis quicquid vellent, per vim & scelus obtinerent: quo tempore claudabantur opificum tabernæ. Atque pari festiuitate Cicero iocatur in Lucillum, & in inuidiã vocat: quod Stoicã & Antiocheia paradoxa sequitur, quæ sunt inuidiosa ciuibus, quos Stoici seruos, quos exules, quos denique infanos, & furiosos appellant.

7 Alter est inuidiæ locus, quo Cicero suspectã & inuidiosam Lucullo & Hortensio reddit Zenonis & Antiochi disciplinam, idque testimonio ipsius Zenonis gestu & similitudine manuum distinguentis visum, assensum, comprehensionẽ, & scientiam: definiensque eam scientiam, quæ in nullo homine possit inueniri. quo argumento nec Lucullus, nec Hortensius quicquam sciunt, aut sapientes esse possunt.

8 Locus in Hortensiu festiuior est, quàm aptior ad rem ipsam: quærenda enim fuerant exempla rerum vniuersalium, non singularium.

9 Alterum argumentum aduersus κατὰ λη. ¶ IV ab antiqua & Romana iurifurandi formula & consuetudine, vbi testes & iudices iurati tantum opinandi verbis utebantur.

10 Perorationis argumentum & occasio captatur à causis efficientib⁹, quibus adiungitur breuis epilogus eorum, quæ dicta sunt in confirmatione & cõfutatione.

11 Lucullus decorum suum tenet, neque probans neque improbens orationem Ciceronis.

12 Catulus sententiam dicit, in qua summa est totius Academicæ institutionis comprehensa duobus decretis, quorum primum est, Sapientem nihil scire, nullisque rei tanquam perceptæ assentiri: alterum, Sapientem multa opinari, hisque eate nus assentiri, quatenus probabilia & verisimilia sunt.

FINIS.

**E**T SI munus flagitare, quãuis quis ostēderit, ne populus quidē solet, nisi cōcitat⁹: tamē ego expectatione promissi tui moueor vt ad moneam te, non vt flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecūdos. nosti enim profectò os adolescentioris Academia. Ex ea igitur media excitatos misi: qui metuo ne te fortè flagitent. ego autem mandavi vt rogarēt. Expectabam omnino iam diu, mēque sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberē, quàm aliquid accepissem, vt possem te remunerari quàm simillimo munere: sed cū tu tardius faceres, id est, vt ego interpretor, diligentius, teneri non potui quin conjunctionem studiorum, amorisque nostri, quo possem literarum genere declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cū esset vnà Pomponius: tibi dedi parteis Antiochianas, quas à te probari intellexisse mihi videbar: mihi sumpsit Philonis. Puto fore, vt cū legeris, mirere id nos locutos esse inter nos, quod nunquã locuti sumus: sed nosti morem dialogorum. Post hac autē mi Varro quamplurima, si videbitur, & de nobis, & inter nos: serò fortasse, sed superiorum temporum fortuna Reip. causam sustineat: hæc ipsi præstare debemus: atque vtinam quietis temporibus, atque aliquo si non bono, at saltem certo statu ciuitatis hæc inter nos studia exercere possemus. quanquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes, honestas nobis & curas & actiones darent. nunc

autem quid est, sine his cur viuere velimus? Mihi verò cum his ipsis vix: his autem detractis ne vix quidem. Sed hæc coram, & sapius. Migrationem & emptionem feliciter euenire volo, tuumque in ea re consilium probo. Cura vt valeas.

Index eorum quæ in Acadèmia, fragmentoque Ciceronis Academico continentur.

Academia, quid	4.5.21	Academicorum in disputando mos à quibus corruptus	9
Academia, unde	21	Academicorum institutum quodnam fuerit	6
Academiæ institutum antiquissimū	12	Academicorum libertas	20
Academia unica iuxta Philonem	37	Academicos nihil affirmare	71
Academia noua	7.74	in motionibus sensuum & animorum Academicos tantū reliquisse opinionem	8
Academiā nouam primus induxit Arcefilas	72	Academium n. g.	5
Academia uetus à quibus primūm oppugnata	62	Academus	4.5.21
Academiæ quæ, & cur sic nominatae	12	Ἀδίαφορα	62
Academica Ciceronis disputatio cur à Catulo & Lucullo ad Varronē trās lata	23	Ægritudo	64
Academicae disputationis secundus modus	13	Aer	49
Academicarum questionum Ciceronis causa	22	Affabilitas	46
Academicarum questionū liber primus quid contineat	24	C. Amasanius	29
Academici noui uetus Platonis institutum reuocarunt	6	ἑμάρτυρα	63
Academici	38	Amor cæcus in philosophia perniciosus	15
Academici à quo	29	Anaxagoras	6
Academici, unde	5	Anima immortalis	11
Academici cur tam pauci, cum tā multi emulsi sint cæterarum sectarum	14.	Animate qualitates	53
15		Animus in duas partes diuisus	65
Academici philosophi qui	21	Animi uirtutes	46
Academici ueteres & noui	5. 21	Animorum imbecillitas	73
Academici ueteres, omiſſa uetere disserendi modestia, sua decreta tradebant	5	Antiochus Academicus	35. 36
Academicorum differentia à reliquis philosophis	13	Antiochus Philonis auditor, ab eoque cur discesserit	37
		Antiochei	37
		Apollinis oraculum de socrate	40
		ἀποπροσημίνα	63
		appetitus naturales	65
		appetitio	69
		Arcefilas	5
		Arcefilas Pritanicus	72
		Arcefilæ institutum	73

INDEX.

Arcefile institutum in philosophia	8	Carneadis uis dicendi	74
Arcefile socratici cum peripateticis & reliquis certamen	8	κατάληψις	8. 68. 69
Arcefilea ἐποχή	9	κατάληψιν	67. 68
Aristus philosophus	36	καθ' ἑσθ' ἑσθ'	63
Aristoteleorum iudicium rixæ	17	κατόρθωμα	63
Aristoteleorum uanitas & amor cæcus erga aristotelem	15	nihil certi affirmare soliti acade- mici	6
Aristoteleis iudicibus tribus iudicium de Aristotelicis animaduersionibus permittitur.	17	Cicero Academicus nouus	37
Aristotelicæ animaduersiones Rami	16	Cicero cur se contulerit ad philoso- phiam	35
Aristotelicæ animaduersiones Rami & institutiones dialecticæ condem- nantur	18	Cicero inconstantia cur notetur à phi- losophis	22
Aristotelicum iudicium de Ramo	16	Cicero, unus ex nouis Academicis	5
Aristotelicorum credulitas	10	Ciceronis in ueritatis examine stu- dium	12
ARS	46	Ciceronis libertas in philosophia tra- ctanda	13
Athenis tria gymnasia	4	Ciceronis libri de Finibus, & de Offi- cuis quid doceant	11
atomi	27. 30	Circus carmina & ueneficia	31
Atomi Epicureorum	57	Clitomachus	5
Attilius ferreus scriptor Electram Sophoclis male conuertit	35	comitas	46
ἀντὶς ἐφα	15	Contradictionis consuetudo in priua- tis & publicis negotiis	11. 12
B		Contrariis disputationibus ueritatem elucere	12
Beata uita in una uirtute iuxta ze- nonem	62	Crantor	5
Beata uita definitio	47	Crates	5
Beata uita partitio	45	Credulitas in philosophia pernicio- sa	10
Beatam uitam in uirtute esse negauit Aristoteles	64	Cuma, oppidum	25
Beatitudo	51	Cumanum ciceronis	25
Beatitas	51	Cynosarges, gymnasium	4
Ioannes Bomontius Parisiensis	17	D	
Bona quæ	45	Democritus	6
Bona corporis	45	Democritus cur naturã abstruserit	72
Bonorum & malorum notionem esse confusam	8	Democriti studium	72
C		Deus, animus mundi	50
Cælum	66	Dei patris sapientia	59
Carneades	5. 74	de Deo, summo bono, & c. inter phi- losophos altercatio	9

INDEX.

Dialectica, tertia philosophiæ pars	56	Euander	5
Dialectica cur pugno similis	58	ἔξις	46
Dialectica contemptor Epicurus	10	ἐνχρησµατα	62
Dialectica artis partes due	68	F	
in Dialectica tractanda scholarum error	3	Falsa ueris finitima	73
in Dialectica tractanda P. Rami cum sopholis certamen	3	Fauor	51
Dialectica studia ab Epicureis con- temni	29	Fides diuinis in rebus certa	11
Διάλεκσις	46	Felicitatis gradus	47
Diodorus stoicus	35	Forma	50
Discipuli officium	10	Fortitudo	46
Disputatio omnis quæ uia & ratione procedit, à definitione proficisci debet	17	Fortuna	50. 55
Δογματικὴ	11	Fortuna dea	47
Δυσχρησµατα	62	Fortuna prospera	47
E		G	
Ecademus heros	4	Generationis gremium	53
Ecademia	4	Grando	53
Egefinus	5	Græci fontes omnium disciplinarum	31
Εἰμακεµελέν	55	Gurdi	51
Εἰρωνεία	40	Gymnasia tria Athenis	4
ἐλεγκτικὴ	11	H	
Elementa	49. 52	Homo ad duas res natus	30
Elementa in quinque genera distinxit Aristoteles	66	Homo deus mortalis	31
Eloquentia dialecticæ quomodo respõ- deat	58	Honestum	62
Empedocles	6	Honestum in quo uersetur	47
ἐννοια	58. 69	I	
ἐνπλεχία	52	Idea	55. 57
Epicurus dialecticæ cõtëptor	10. 29	Idea in Deo & hominibus	59
Epicurei	9	Ignorantia	69
Epicurei à quo	29	Inscientia	69
Epicurei creduli	10	Intelligentia	46
Epicurei cur tam multi	14	Ironia socratis	40
ἐποχή	74	Iustitia	46
ἐποχὴ Arcefilea	9	L	
Etymologia	56	Lacydes	5
		Lælius uir doctus	32
		Letitia	64
		Latinus sermo præcipuè è Græco con- uersus	52
		Liberalitas	46
		libido	64
		in Lino Patavinitas	51

INDEX.

Locus	54	Oculorum aspectu aciem animi impe-	
Λογική	10.29	diri	73
Λόγος	59	Officium quid	63
Lucullus ciceronis, integer	22	Officiorum quatuor fontes	47
Lycaum, gymnasium	4	Opinatio siue opinio	69
Lycium	41	Opinio à scientia separata	58
		Opinio uera	57.
M		P	
Magnificentia	46	Πάθη	64
Mansuetudo animi	46	Peripatetici	9.38.41
Mappa	51	Peripatetici à quo	29
Materia	50	Peripatetici cur tam multi	15
Materia & forma, principia rerum		Permotiones quadruplices hominibus	
naturalium iuxta Academicos	30	insite	64
Materia omnia accipere potest	53	Perturbatio, quid	64
Materia prima	53	Perturbatio nulla moderata	65
Mens, sensuum fons	69	Perturbationis definitio iuxta Zeno-	
Mentis uis	57	nem	65
Μέσα	63	Perturbationes que	65
Metus	64	Perturbationes naturales	61
Modestia	46	Perturbationes omnes opinioni sub-	
Mundus, Deus	66	iecte	70
Mundus à Deo conditus iuxta Pla-		Perturbationum diuisio iuxta Peripa-	
tonem	11	teticos	64
Mundus ex atomis confectus iuxta		Petoritum	51
Epicureos	30	Φαινόμενα	68
Mundi animus à Deo creatus	54	Φαντασία	66.68
Mundi fabrica	54	Philo	5
Mundi mens νομοία	55	Philo Academicus	35
		Philo pro nouis Academicis libros	
N		duos conscripsit	72
Natura	50.69	Philosophum decet ueritatis esse cu-	
Natura, ignis	65	pidum	72
Natura quinta	52	Philosophi antiqui quid tractarēt	39
Natura uis	50	Philosophi mercatores atque insitiores	
que Natura constant mutabilia	54	sapientiae	19
Naturales causas ex coniectura tantum		Philosophorum Grammaticorum, &c.	
pendere	8	libertas in disputationibus	16
Necessitas	50	Philosophorum ueterum modestia	7
Noui Academici	5	Philosophia in tres partes diuisa	8
Nubes	53	Philosophia naturæ	50
Oceanus deorum parens	58		

INDEX.

Philosophia quibus de causis expe-		teleis appellat	17
tenda	31	P. Ramus in Aristoteles	15.16
Philosophia Socratis fuit ueritatis in-		P. Rami Aristotelicæ animaduer-	
quisitio	9	siones	4
Philosophiæ prima pars de morib <sup>9</sup>	45	P. Rami certamen cum scholis de tra-	
Philosophiæ tripartita diuisio iuxta		ctanda dialectica	3
Platonem	44	P. Rami & T. Alei studium in erudiē-	
Philosophiæ ueræ quid proprium	9	da iuuentute	3
ad Philosophiam cur se contulerit		in Ramum triumuirum senten-	
Cicero	35	tia	18
in Philosophia an discipulus debeat		inter Ramum atque Aristoteles con-	
esse credulus	10	trouersæ breuis narratio	16
Philosophandi morem ueterem reuo-		Reiecta	61
cavit Socrates	9	Rheda	51
Φύσις	55	Rhetorica palmæ cur similis	58
Plato consuetudinē Socratis auxit	9		
Plato in Academia moratus est	4	S	
Plato Socratis discipulus	41	Salutantium interrogatio quæ	26
Platonis doctrinæ capita	11	Sapiens uir bonus	63
Platonis philosophandi ratio	74	sapientem nihil opinari	70
Platonis uetus institutum reuocarunt		sapientia	46
noui Academici	6	sapientia, quid	7
Pluuia	53	Sapientia quarum rerum cognitione	
Ποιότης	50	constet	7
Ποιότητες	48.52	in scholas duplicem errorem	
Polemo	5	inuasisse	3
Præposita	61	nihil se scire cur ueteres philosophi	
Probabilia sequuntur Academici	6	dixerint	7
Προλιψεις	69	scientia	46.69
Προσημελιæ	63	scientia unde	57
Πρόνοια	55	senfa & sensus	68
Prouidentia Dei mundum regi	11	sensus hebetes & tardi	57
Prudentia	46	socrates	16
Pythagoræ autoritas	15	socrates Academicorum parens	39
		socrates contra sophistas	7
Qualitas	50	socrates omnium sapientissimus	40
Qualitates	48	socratis dissimulatio	40
Qualitates uariæ	53	Socratis ignorantia qualis	7
Ioannes Quintinus Hedius	17	socratis interrogationes ad eruendam	
		ueritatem	9
		Socratis philosophia	37
R		Socraticus disputandi mos	39
Ramus à tribus iudicibus Aristote-			

INDEX.

socratica dubitatio	5	V	
sophista discipulos opinionibus astrin- gere soliti	10	M. varro Academicus	30
sophistarum arrogantiam quomodo so- crates represserit	7.9	M. varronis institutum	31
Sophistarum impudentia	9	M. varronis libri de diuinis rebus & humanis, item de poetis	34
species	55	M. varronis saytra Menippeae	32
Speusippus	5	verborum notatio	51
Speusippus Platonis successor	38	verisimile sequuntur Academici	6.19
stoici	9	veritas	46
Stoici a quo	29	Veritas in profundo demersa	70
Stoici cur tam multi	15	de veritatis iudicio Protagorae, Plato- nis, & Epicuri contentio	9
Strato Lampfacenus	60	in veritatis examine Ciceronis stu- dium	12
stratoniceus Metrodorus	6	veritatis iudicium sensibus non con- uenire	56
Summum bonum	45	Veritate in profundo esse demersam	6
summum bonum in uoluptate iuxta		veritatem disputationibus contrariis maxime elucere	12
Epicureos	30	veteres Academici	5
Summi boni definitio	47	vicissitudines rerum	54
sus mineruam	42	virtutis definitio	46
suspicio	70	virtutis genera duo	46
Συγνα τῶν θεῶν	8	virtutis uis	64
sylogismi apodictici & diale- ctici	56	ad virtutis studium cohortator so- crates	41
T		in virtute sola uita beata iuxta ze- nonem	62
Talaei & Rami studium in crudi- enda iuuentute	3	virtutes actionis	46
Telas	45	virtutum diuisio	63
Temeritas	69	visus	66.68
Temeritate nihil turpius	73	visus definitio	68.72
Temperantia	46.47	visorum duo genera	68
Tempus	54	visio	68
M. Terentius varro Antiochiarum par- tium studiosus	22	vitae breuitas	73
Theophrastus antea Tirtamus		Vocabula externa in Latium ir- reperisse	51
dictus	59	Voluptas contra naturam hominis	47
Θεὸς unde	55	Voluptas summum bonum iuxta Epi- cureos	30
Thetys	58	Voluptatibus homines in pecudum ui-	
Timaeus Platonis	11		
Triumuirum de Ramo sententia	18		
Τύχη	55		

INDEX.

tam degenerare	31	Z	
Urbanus	51	Zeno quam partem dialecticae se- cutus sit	68
X		Zeno cittiens Stoicorum princeps	62
Xenocrates	5	a Zenone triplex correctio facta de moribus	65
Y			
ὅς τῶν ἀθηνῶν	42		

Index eorum quae in Lucullo continentur.

A		Antipodas esse multi authores con- firmant	104
Academicus sapiens qualis sit in philosophia	116	ἀπαθεία	108
Academica institutionis totius summa	120	Aqua, principium rerum	97
ἀκατάληπτα	61	Aristippus	111
ἀκατάληπτον	36	Aristippus duos fontes instituit	119
Aculi	85	Aristo Chius	104.108
ἀδιαφορία	104.108	Aristoneorum secta	108
ἀδύλον	36	Aulus Albinus	115
Albinus historiam Romanam Graece scripsit	115	ab Aurigis similitudo	80
Alcmeon	75	B	
Alexandria	16	Bauli	14
Alexinus	66	C	
Anaxagoras	65.97	caeruleus color	86
Anaxagoras res omnes confundebat	81	Calor, fons uita	98
Anaxagorae & Democriti opinio de luna	104	κατάληπτος	26
Anaximander	104	centaurus	98
Anaximander milesius	97	Chrysippus	65.90.116
Anaximenes	104	Chrysippus Solensis	66
Anaximenes Milesius	97	Chrysippea dialectica	80
Andromacha	26	cimmerii	55
Anima partes tres esse Plato affirmat	104	cimmericas tenebras fundere	55
Antiochus	93.112	Cleanthes	61.65.90
Antiochus unde	61	Cicero disputat nullam inesse sapien- tiam in philosophia morali	119
Antiope	26	color purpureus	86
Antipater	90	communi loco defendere	68
		Crantor solensis	112

INDEX.

Critiae sententia de animo	105	Exules ciues	120
Cyrenaicorum auctoritas	66		
D			
Defendere loco communi	68	Flauus color	86
Delos	53	Furiosi ciues	120
Democritus	65. 103	de Furiosis exempla	75
Democriti & Anaxagoræ opinio de luna	104	G	
Democriti stulta confictio de imaginibus	105	Galenii sententia de anima	105
Democriti sententia de animo	105	Grammatica	79
Deus, principium	98	H	
Dialectica	79	Halicæus	69
Dicæarchus	104	Heraclides Ponticus	104
Διδώ	53	Heracliti sententia de animo	105
Diodorus cognomento Cromis	66	Heraclito ignis uidetur esse principium	98
Diodorus stoicus	93	Hercules	75. 90
Diogenes	90	Herilliorum secta	107
Diogenis sententia de animo	105	Herphantes pythagoreus	104
Dionysius Heracleotes	61	Hipponis sententia de animo	105
Δογματικῶν	33	Homines quinta classis	65
Dolor & uoluptas	111. 119	Hydra	90
E			
Eminentia	26	I	
Empedocles	98. 104	Ignis, principium	98
ἐμνοια	34	Insani ciues	120
ἐπίχω	53	Intestinus timor	47
ἐφεπικῶν	33	Iocus in Carneadem & Diogenem	115
Epicurus unde	61	Ira	112
Epicuro quantus sol uidetur	69	Iudices integri & sancti, sensus interni	119
in Epicurum apostrophe	104	L	
ἐπιχῶν	53. 86	Lacidium	21
Eretriaca secta	108		
Eurystheus	75		
Exemplum de signis similibus	72		
ab Exemplis specialibus argumētū	72		
Exordium	57		

INDEX.

Lapitha	98	Paradoxa stoica & Antiocheia	120
Lerna palus	90	Parmenides	98
Liberalitas gratuita, an mercenaria	116	Parmenidis sententia	65
Lincens	69	pelles	9
Litera sacra quid contineant	104	Penelopes, vlyssis uxor	80
Locus communis	68	Pherecrates	104
Loco communi defendere	68	Philolai sententia de terra	104
Lucretius impius	104	Philosophi inter se dissentientes	104
Lysippus sicyonius	72	Plato mundum esse creatum à Deo	98
M			
M. cl. Marcellus	115	facit	89
Medicorum tria genera	104	Polianus	89
Mediocris in rebus	112	Posidonius	90
Megarensis secta	108	Præstigiator	47
Mercator	65	Προλήψεις	34
Moralis uirtus	112	Prosopopœia	52
de Moribus questio	107	Protagoras	65
Myrmecides statuarius	99	Protagoras res omnes confundebat	81
Mysteria	53	Protagoræ ineptia	119
N			
Nicolaus Copernicus	104	Prouerbum	53
O			
Oblatus timor	47	Purpureus color	86
Oceanus	97	Pyrrho Eliensis	108
Oculorum imbecillitas	69	Pyrrhoneorum secta	108
ὀμοιότης	97	Q	
Operari homines prompti ad scelus & maleficium	120	Quæstuosus homo	65
Opifices urbani	120	R	
nihil tam simile duo, quàm ouis	53	Res in promptu	14
P			
Panætius Rhodius	90	Res integra	14
S			
		sacra Cereris & Proserpina	53
		Sapientem multa opinari	120
		Sapientem nihil scire	120
		scientia perfecta	97
		P. scipio n asica	115
		seditiosus & furiosus Tribunus	120
		Sensus rerum indices, non indices	86
		i. ii.	

INDEX.

sensus interni, integri & sancti iudices	119	quod essentia non percipimus	119.120
Serui cives	120	viri boni, decorum amici	115
seruius Tullus	65	virtus moralis	112
quomodo socrates ratiocinatur	115	Visorum partitio duplex	85
Socrates nihil affirmans	104	Vita fortuna regit, non sapientia	111
socratis sententia	119.120	umbra	26
Socratis sententia de Deo	108	voluptas & dolor	111.119
socraticus unde	61	de voluptate & uirtute qualem deliberatione scripserit Xenophon	116
sophista	47		
stilpo megarensis	65	X	
stoici credunt mundum caelesti providentia regi	99	Xenocratis sententia de animo	105
stoici putant ignem mundum deflagratum	99	Xenophanes colophonius	98
stratonis autoritas	53	Xenophanis sententia de terra	104
		Xenophontis deliberatio de uoluptate & uirtute	116
T		Xystus	14
Talpa	69	Z	
Thales	104	Zeno	90.111
Thales Milesius	97	Zeno dicebat neminem esse consulem, nisi sapientem	115
Tuditanus	75	cur Zeno sapientem regem appellauerit	115
V			
an Veritatem eo percipere possimus,			


FINIS.


PARISIIS.


EXCVDEBAT MATTHAEVS DAVID


IDIBVS MAIL.


1550.











16

Te  
506e